EMENDATIONES AESCHYLEAE

SCRIPSIT

Hendrik

H. VAN HERWERDEN.

Commentatio ex supplementis annalium philologicorum seorsum expressa.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXVIII.

Paginarum numeri sunt supplementi decimi annalium philologicorum.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Continebit hoc opusculum non tantum eas coniecturas, in quas novissimo tempore Aeschyleas fabulas diligentissime perlegens incidi, sed etiam eas, quae hic illic in compluribus scriptiunculis dispersae hodieque mihi probantur. Quod faciendum putavi propterea quod harum pleraeque ad paucissimorum virorum doctorum notitiam pervenisse videntur. Quas autem Dindorfius in ed. Vta poetarum Scenicorum Graecorum aut recepit aut commemoravit, nihil causae erat, cur hic repeterem. Singulas fabulas ordine percurrens versuum numeros notabo secundum hanc, qua praecipue usus sum, Dindorfii recensionem.

Ad Prometheum.

Vs. 89. ποντίων τε κυμάτων
ἀνήριθμον γέλασμα.

Licet ope locorum, quos interpretes ad haec verba tuenda congesserunt, γέλασμα per se fortasse defendi possit, ita tamen ab hoc loco et a statu mentis, in quo Prometheus versatur, alienum mihi videtur, ut Aeschylum ita scripsisse persuadere mihi nequeam. Et displicuit cum aliis tum viro, qui multorum mihi instar est, Nauckium volo, cuius tamen coniecturae νήριθμον ἀγκάλισμα non favet, quod forma νήριθμος pro ἀνάριθμος sive ἀνήριθμος (utuntur enim utraque) apud tragicos nusquam reperitur. Melius igitur coniecisset: ἀνάριθμον ἀγκάλισμα. Mihi, cll. Sept. 115 et 716, in mentem venit ἀνήριθμον κάχλασμα.

112. ὑπαίθριος (sic) δεσμοῖσι πασσαλευμένος.

Miser hic foetus nescio cuius poetastri, qui ope vss. 20, 56, 65, al. hunc versiculum satis otiosum finxisse videtur, auctori suo quantocius reddatur. In eo corrigendo operam et oleum perdiderunt Dindorfius reponens προσπεπαρμένος, Morizius Schmidtius προυσελούμενος, Blomfieldus ὑπαιθρίοις. Ceterum falsarius procul dubio haud sane optimis numeris dederat:

ὑπαίθριος δεσμοῖς πεπασσαλευμένος.

274. πίθεσθέ μοι πίθεσθε, συμπονήσατε
τῷ νῦν μογοῦντι. ταὐτά τοι πλανωμένη
πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει.

Ad sententiam recte olim in Ex. Crit. proposui πανταχῇ, sed oblitteranda non fuerat vocula τοι, quam sententiis propriam esse constat. Nunc igitur corrigo πάντα τοι πλ. κτέ., i. e. calamitas omnia pervagans modo hunc modo illum aggreditur. Ean-

dem fere confusionem infra reperies Agam. 551. Ad verbum πλανᾶϲθαι iunctum cum accusativo cf. Eurip. Hel. 604: πᾶϲαν πλανηθεὶϲ τήνδε βάρβαρον χθόνα.

291. Mnemos. V p. 188 (N. S.): οὐκ ἔϲτ' ὅτῳ (ἂν) pro οὐκ ἔϲτιν ὅτῳ.

430 de Atlante: γᾶϲ οὐράνιόν τε πόλον νώτοιϲ ὑποϲτενάζει. Hermanni lenissimam correctionem ὑποϲτεγάζει non leviter commendat locus Aeschyli ap. Athen. XI p. 491 A (fr. 298):

αἱ δ' ἑπτ' Ἄτλαντοϲ παῖδεϲ ὠνομαϲμέναι
πατρὸϲ μέγιϲτον ἆθλον οὐρανοϲτεγῆ
κλάεϲκον.

Cui emendationi Dindorfius praeferre non debuerat suam coniecturam ὀχῶν ϲτενάζει.

442. τὰν βροτοῖϲ δὲ πήματα
ἀκούϲαθ' ὥϲ ϲφαϲ νηπίουϲ ὄνταϲ τὸ πρὶν
ἔννουϲ ἔθηκα καὶ φρενῶν ἐπηβόλουϲ.

Mendosum esse πήματα, arguunt ipsa sequentia. Aptum foret:

τὰν βροτοῖϲι δ' ἔργματα.

Cf. Eum. 500, Sept. 556.

472. πέπονθαϲ αἰκὲϲ πῆμ'.

Graeca verborum compositio postulat:

αἰκὲϲ πέπονθαϲ πῆμ'.

499 sq. In Mnemos. l. l. scribendum conieci:

καὶ χροιὰν τίνα
ἔχουϲ' ἂν εἴη δαίμοϲιν πρὸϲ ἡδονὴν
χολή, λοβοῦ τε ποικίλην εὐμορφίαν

pro ἔχων — ἡδονήν, χολῆϲ λοβοῦ τε.

555. τὸ διαμφίδιον δέ μοι μέλοϲ προϲέπτα
τόδ' ἐκεῖνό θ' ὅτ' ἀμφὶ λουτρὰ
καὶ λέχοϲ ϲὸν ὑμεναίουν κτέ.

Quia διαμφίδιον est praedicativum, sequitur non esse articulo, qui praeponitur, locum. Emendatio mihi non cessit, quare aliis verba commendo.

599. In Mnemos. l. l. supplebam κέντροιϲ (ἀεὶ) φοιταλέοιϲ.

621. Pr. τοϲοῦτον ἀρκῶ ϲοι ϲαφηνίϲαϲ μόνον.
Io. καὶ πρόϲ γε τούτοιϲ τέρμα τῆϲ ἐμῆϲ πλάνηϲ.
[δεῖξον τίϲ ἔϲται τῇ ταλαιπώρῳ χρόνοϲ]

Deleto versu otioso, quo corrumpitur stichomythia, intellige ϲαφήνιϲον τέρμα τ. ἐ. π. Locum emendavi in Stud. Crit. i. p. Sc. Gr. pag. 95 sq. (Studia Critica in poetas scenicos Graecorum, edidit Academia regia disciplinarum Nederlandica Amstelodami ap. C. G. van der Post, 1872, insunt duo fragmenta Aristophanis inedita).

664. ϲαφῶϲ ἐπιϲκήπτουϲα καὶ μυθουμένη
spurium esse ostendi Mnem. l. l.

685. In Mnem. l. l. correxi ϲὺ θάλπε pro ϲύνθαλπε.

692. ἀμφάκει κέντρῳ ψύξειν ψυχάν.

Dindorfius reposuit ψύξειν. Mihi propter κέντρῳ aptius

videtur νύξειν. Nam νύττειν est κεντεῖν. Hesychius νυττόμενος: κεντούμενος. Litera ψ nata est e sequenti vocabulo.

728 pro ἀσμένως more Aeschyleo et fere antiquiorum scripserim ἄσμεναι. Cf. 23. 395; Pers. 736.

885 sq. In Mnem. l. l. conieci:

θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῇ
στυγνῆς προσκρούμασιν ἄτης

vel προσκλύσμασιν, pro πρὸς κύμασιν. Iniuria correctum est παίουσ' pro πταίουσ'.

924. θαλασσίαν τε γῆς τινάκτειραν [νόσον]
τρίαιναν, αἰχμὴν τὴν Ποσειδῶνος, σκεδᾷ.

Νόσον correctori deficientem pedem supplenti deberi suspicor. Aptum foret βάθρων vel πέδου.

1013. αὐθαδία γὰρ τῷ φρονοῦντι μὴ καλῶς
αὐτὴ καθ' αὑτὴν οὐδενὸς μεῖζον σθένει.

Οὐδενὸς μεῖζον noto usu significat πάντων ἐλάχιστον. Quia vero Mercurius demonstrare vult nihil esse Promethei arrogantia imbecillius (ἀτὰρ σφοδρύνει γ' ἀσθενεῖ σοφίσματι), prorsus non assequor quid Dindorfium moverit, ut h. l. reciperet infelicem Stanleii coniecturam μεῖον.

1034. μηδ' αὐθαδίαν
εὐβουλίας ἀμείνον' ἡγήσῃ ποτέ.

Malim in generali sententia neutrum genus ἄμεινον.

1085. σκιρτᾷ δ' ἀνέμων
πνεύματα πάντων στάσιν ἀντίπνοον.

Sic haec verba constituerim, deleto non tantum cum Dindorfio ἀποδεικνύμενα, sed etiam glossemate εἰς ἄλληλα.

Ad septem. c. Thebas

Vs. 29. Insigni errore, quem in lexico Aeschyleo repetivit, Dindorfius scripsit νυκτηγορῆσθαι (sic) pro νυκτηγορεῖσθαι.

43. ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος.

Punctum temporis non dubito quin ταυροσφαγοῦντες sit glossema genuinae lectionis μηλοσφαγοῦντες, quam h. v. iocularitor adhibens servavit comicus in Lysistrata vs. 187. Interpretamentum provocavit sequens ταυρείου φόνου. Μῆλα tragicis non sunt, ut Homero, oves tantum et caprae, sed κοινῶς — πάντα τὰ τετράποδα, ut est ap. Hesychium s. v. Cf. Dindorf. in lex. Soph. s. v. Res non potest melius demonstrari quam fragmento Niobes (fr. 155), ubi μήλων commemorantur μυκηθμοὶ καὶ βρυχήματα. Perperam igitur idem Dind. in lex. Aesch. μῆλον ovis interpretatur. C. A. (= commentatio Amstelodamensis, i. e. Verslagen en Mededeelingen der koninklijke Nederlandsche Academie van Wetenschappen, afd. letterkunde, 2de reeks. deel V).

141 m. Mnem. l. l. una litura delevi verba σέθεν ἐξ αἵματος γεγόναμεν ut manifestum glossema verborum γένους προμάτωρ.

196. κεἰ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται —
ψῆφος κατ' αὐτῶν ὀλεθρία βουλεύσεται.

Graecum esse nego βουλεύειν ψῆφον. Deleto interpretamento, substituam:

ψῆφος κατ' αὐτῶν ὀλεθρία διοίσεται.

Hesychius διοίσεται: διακριθήσεται. Vid. Eurip. Or. 49 et 1652, et saepe ita scriptores pedestres. Vulgatae adversatur quoque proxime sequens βουλευέτω in eadem senarii sede positum.

220. μηδ' ἐπίδοιμι τάνδ'
ἀστυδρομουμέναν πόλιν καὶ στράτευμ'
ἁπτόμενον πυρὶ δαΐῳ.

Quis non potius credat ipsam urbem dici a poeta conflagrari quam cives! Conieci:

καὶ στρατοῦ
δαπτομέναν πυρὶ δαΐῳ.

Cf. Prom. 368 et Iliad. Ψ 183. Ita vero, vel si non scripserim, intellexerim certe: στρατοῦ — πυρὶ δαΐου.

333 sqq. Impugnata Weckleini (Aesch. Stud. p. 56) coniectura, locum conclamatum fuse tractavi in Comm. Amst. et sic tentavi, ut scriberem:

κλαυτὸν δ' ἀστυδρόμοις
ὠμόδροπον γονέων προπάροιθεν διαμεῖψαι
δωμάτων στυγερὰν ὁδόν

hac sententia: Miserum est, immaturam decerptam ab hoste (puellam) ante ora parentum ex aedibus paternis abduci in servitutem. Verba autem διαμεῖψαι — ὁδόν interpretor: pro aedibus odiosam viam commutare, i. e. pro felici vita in domo paterna abduci in servitutem; ut dixit Euripides Iph. T. 398. Ἀσιήτιδα (γαῖαν) Εὐρώπας διαμείψας. Cf. Dind. lex. Aesch. Add. p. 426 A.

375. λέγοιμ' ἂν εἰδὼς εὖ τὰ τῶν ἐναντίων
ὥς τ' ἐν πύλαις ἕκαστος εἴληχεν πάλον.

Collatis locis vs. 55, Eumen. 32, Pers. 187 facilis suspicio est reponendum esse πάλῳ. Aut hoc verum est, aut poeta dederat:

ὥς τ' ἐν πύλαις ἕκαστος ἔσπακεν πάλον,

ut scripsit in Agamemn. 333

ὡς ἕκαστος ἔσκασεν τύχης πάλον.

Ita εἴληχεν foret glossatoris. Vid. 423, 451.

432. ἔχει δὲ (Capaneus) σῆμα γυμνὸν ἄνδρα πυρφόρον,
φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χεροῖν ὡπλισμένη.

Verius videtur ὡπλισμένῳ, scil. τῷ ἀνδρὶ τῇ λαμπάδι. Eurip. Bacch. 732:

ἕπεσθε, θύρσοις διὰ χερῶν ὡπλισμέναι.

Aeschylus ita scripsit pro ὥπλισται δὲ διὰ χερῶν λαμπάδι φλεγούσῃ. Vulgatum non tuetur locus Euripideus ex Ione 993, cuius alia ratio est. Simile vitium infra videbimus ad Choeph. 732.

435. τοιῷδε φωτὶ πέμπε τίς ξυστήσεται,
Dindorfius deleto πέμπε post τοιῷδε inseruit τῷδε. Post τοιῷδε nihil deest. Cf. 499 τοιοῦδε φωτὸς πεῖραν εὖ φυλακτέον. Quapropter praefero lenissimam correctionem, quam proposui in Exercit. criticis p. 94: τοιῷδε φωτὶ δ' εἰπὲ τίς ξυστήσεται. De τίς in oratione indirecta pro ὅστις dicto cf. Lex. Aesch. p. 375 B.

562. θεῶν θελόντων δ' ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ.
Vulgo recepta est Wellaueri correctio qui, metri gratia transposuit ἂν δ'. Valde dubito num recte, quoniam particula ἄν, quae ad optativum pertinet, sic male iungitur cum participio. Insuper praetulerim h. l. merum optativum modo conditionali. Utinam, volentibus dis, vere haec dixerim! Quare conieci:

θεῶν θελόντων, ταῦτ' ἀληθεύσαιμ' ἐγώ.

578. δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος.
Recte in Studiis criticis p. 2 corrigebam δισσῇ τελευτῇ, i. e. nomen Polynicis duplici terminatione dividens. Schol. εἰς δύο διαιρῶν τὸ ὄνομα τοῦ Πολυνείκους, τὸ πολὺ καὶ τὸ νεῖκος.

622. Vid. infra ad Choeph. 581.

695 Et. φίλου γὰρ ἐχθρά μοι πατρὸς τάλαιν' ἀρά
ξηροῖς ἀκλαύτοις ὄμμασιν προσιζάνει,
λέγουσα κέρδος πρότερον ὑστέρου μόρου.

Interpretandum arbitror: commemorans lucrum posteriori fato (seriori morti) praeferendum. Adigit nempe patris imprecatio Eteoclem ut, dummodo frater sua manu pereat, longiorem vitam vilipendat. Ambos enim alterum alterius manu occisum iri Oedipus praedixerat. Saepius autem πρότερος et πρῶτος Graece significare potior, potissimus notum est.

720. πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον θεὸν οὐ θεοῖς ὁμοίαν,
παναλαθῆ κακόμαντιν, πατρὸς εὐκταίαν Ἐρινύν.

Suspecta est producta in altero versu extremi pedis Ionici prima syllaba, non correpta praecedentis pedis ultima. Quare Aeschylum h. l. (quod in plurimis adiectivis trium terminationum tragicos permisisse sibi constat) adiectivum εὐκταῖος commune fecisse suspicor et scripsisse: πατρὸς εὐκταῖον Ἐρινύν. Minus recte Dindorfius virgulam posuit post παναλαθῆ, sine distinctione coniungens οὐ θεοῖς ὁμοίαν παναλαθῆ. Nam κακόμαντις pocul dubio hic est substantivum arcte iungendum cum παναλαθῆ, nimis veracem vatem malorum. Cf. ἀληθόμαντις et ψευδόμαντις, alia.

772. τίν' ἀνδρῶν γὰρ τοσόνδ' ἐθαύμασαν
θεοὶ καὶ ξυνέστιοι
πόλεος ὁ πολύβοτός τ' αἰὼν βροτῶν;

Itane? di Oedipum admirati sunt, qui hominem persecuti sunt per totam vitam? Conieci:

ξένοι καὶ ξυνέστιοι πόλεος

i. e. tam peregrini quam cives.

810. βαρέα δ' οὖν ὅμως φράσον.

In Comm. Amst. malebam δ' ὄνθ' pro δ' οὖν.

849. διπλαῖ μέριμναι, δίδυμ' ἀγανόρεα κακὰ
αὐτόφονα, δίμορα τέλεα τάδε πάθη.

Collatis vss. 893 et 933 conieci ἀντίφονα, quod fortasse legit vetus interpres ad h. l. explicans ἀλληλοκτόνοι γὰρ ἐγένοντο.

Quae leguntur inde a vs. 1005 usque ad finem si omisisset poeta, melius prospexisset actionis unitati. Ita hoc drama commis terminaretur, ut Persae. Aeschyli tamen exemplum secutus est in Phoenissis Euripides.

Ad Persas.

Vs. 166. ταῦτά μοι διπλῆ μέριμν' ἄφραστός ἐστιν ἐν φρεσίν,
μήτε χρημάτων ἀνάνδρων πλῆθος ἐν τιμῇ σέβειν,
μήτ' ἀχρημάτοισι λάμπειν φῶς, ὅσον σθένος πάρα.

Ita dura et inelegans est haec structurae inaequalitas, qua in eadem sententia coniungitur verbum transitivum cum intransitivo, ut prius in mendo cubare suspicer. Pro σέβειν aptum foret πρέπειν. Vid. Dind. lex. Aesch. s. v.

173. εὖ τόδ' ἴσθι, γῆς ἄνασσα τῆσδε, μή σε δὶς φράσαι,
μήτ' ἔπος μήτ' ἔργον, ὧν ἂν δύναμις ἡγεῖσθαι θέλῃ.

Manifestum esse arbitror poetam pro φράσαι dedisse futurum φράσειν. Quod sequitur ὧν ἡγεῖσθαι θέλῃ tam inepte dictum est, ut hodieque longe praeferam quod olim conieci in Exercitationibus criticis: ὧν ἂν δύναμις ᾖ γ' ἡμῖν τελεῖν.

250. πολὺς πλούτου λιμήν. Conieci βαθὺς. C. A.

329. τοιῶνδε τῶνδε νῦν ὑπεμνήσθην πέρι.

Mentionem facere de aliqua re Graece non aliter dicitur quam ἐπιμνησθῆναί (s. μνησθῆναί) τινος s. περί τινος. Compositum ὑπομνησθῆναι ne admittit quidem praepositionem περί. Correxerim igitur:

τοιῶνδε τῶνδε νῦν ἐπεμνήσθην πέρι.

380. τάξις δὲ τάξιν παρεκάλει νεὼς μακρᾶς.

Ναῦς μακρὰ collective dictum pro classe valde suspectum est, saltem sine exemplo. Omnino vero ferendum non videtur in hac verborum compositione. In Exerc. criticis p. 95 requirebam et nunc requiro νεῶν μακρῶν.

701. Pro λέξας correxi λέξων Mnem. l. l.

725. φεῦ μέγας τις ἦλθε δαίμων, ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς.

Depravata esse verba τις ἦλθε studui demonstrare in C. A. Emendatio est incerta, quia plura apta se offerunt. Nam loci ratio admittit tam σφ' ἐπῆλθε quam σφ' ἔσηνε aut τις ἦγε.

829. πρὸς ταῦτ' ἐκεῖνον σωφρονεῖν κεχρημένον
πινύσκετ' εὐλόγοισι νουθετήμασιν
λῆξαι θεοβλαβοῦνθ' ὑπερκόπῳ θράσει.

Qui sapere ipse cupiat, hunc hortari nihil opus est. Quapropter

calidius, me iudice, Dindorfius hanc lectionem recepit pro Medicei libri et apographorum scriptura verissima κεχρημένοι, i. e. Xerxem si vultis sapere (resipiscere). Inani lusu Weckleinius:

πρὸς ταῦτ' ἐκεῖνον νουθετεῖν κεχρημένοι
πινύσκετ' εὐλόγοισι σωφρονίσμασιν.

899. καὶ τὰς εὐκτεάνους κατὰ κλῆρον Ἰαόνιον πολυάνδρους
Ἑλλάνων ἐκράτυνε σφετέραις φρεσίν.

Soloece pronomen σφέτερος ad unum hominem relatum, ipsis numeris damnatur. Verbum enim h. s. poeticum ἐκράτυνε nemo facile cum Hermanno e pedestri ἐκράτει depravatum esse statuet. Nuper in Ionis Eurip. editione mea proposui:

Ἑλλάνων ἐκράτυνε σοφαῖς φρεσίν.

Opponitur autem per totam fabulam Darii prudentia ac sapientia Xerxis levitati et arrogantiae.

922. γᾶ δ' αἰάζει τὰν ἐγγαίαν
ἥβαν Ξέρξᾳ κταμέναν Αἴδου
σάκτορι Περσᾶν· ᾀδοβάται γὰρ
πολλοὶ φῶτες, χώρας ἄνθος,
τοξοδάμαντες, πάνυ ταρφύς τις
μυριὰς ἀνδρῶν, ἐξέφθινται.

Ita Dindorfius e Passovii coniectura edidit pro corrupta codicis scriptura ἀγδαβάται. At parum eleganter dictum est me iudice ᾀδοβάται — ἐξέφθινται. In C. A. suspicabor in ΑΓΔΑΒΑΤΑΙ tres primas literas dittographia natas esse e superscripto ΑΙΔου, quibus resectis corrigendum esse:

ἡβαταὶ γὰρ κτέ.

986. Πέρσαις ἀγαυοῖς κακὰ πρόκακα λέγεις.

Vehementer haec vox torsit interpretes. Stanleio κακὰ πρόκακα sunt mala malorum praesaga, Schuetzio mala praesentia, Todtio mala pro malis orta et suscepta. Nulla harum interpretationum nec huic loco neque infra vs. 990 prorsus convenire videtur. Rectissime Dindorfius in lexico exposuit valde mala. Praepositio προ in hac compositione vim habet intensivam non aliter quam in πρόπας et προώλης.

1053. μέλαινα δ' ἀμμεμίξεται
οἶ, στονόεσσα πλαγά.

Ita Dindorfius recte pro ἂν μεμίξεται, sed praeterea manifesto corruptum est μέλαινα. Una literula mutata exibit vera scriptura:

μάλ' αἰνὰ δ' ἀμμεμίξεται κτέ.

Αἰνὰ adverbialiter pro αἰνῶς, ut recte supra vs. 576 ἀλὸς αἰνὰ pro ἁλὶ δεινὰ coniecit Dindorfius.

Ad Supplices.

Vss. 34 sqq. sic interpungendos monui in C. A.:

ἔνθα δὲ λαίλαπι
χειμωνοτύπῳ, βροντῇ στεροπῇ τ'

ὀμβροφόροιϲιν τ' ἀνέμοιϲ, ἀγρίαϲ
ἁλὸϲ ἀντήϲαντεϲ ὄλοιντο.

Interposita enim virgulis continent descriptionem λαίλαποϲ χειμωνοτύπου. Ni feceris, ἀνέμοιϲ post λαίλαπι turpiter abundabit.

116. ἱλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν
(καρβᾶν' αὐδὰν εὖ, γᾶ, κοννεῖϲ.)
πολλάκι δ' ἐμπίτνω ξὺν λακίδι
λίνοιϲιν ἢ Σιδονίᾳ καλύπτρᾳ.

Cur Danaides tam fidenter dicunt Peloponnesum callere barbarum sermonem? Cogitantne Pelopem Phrygem in ea terra rerum quondam petitum? At neque recte concludi inde potuit, non ignotas fuisse Peloponneso linguas peregrinas, neque ea scientia ab Aegyptiis puellis expectari potest. Ne multa; remotis uncinis, correxerim:

ἱλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν,
καρβᾶν' αὐδὰν εἰ, γᾶ, κοννεῖϲ κτέ.

i. e. propitio mihi Apiam terram, si peregrinum sermonem, quo preces meas fundo, o tellus, intellegis.

Eodem errore in Agamemnone vs. 500 editur

εὖ γὰρ πρὸϲ εὖ φανεῖϲι προϲθήκη πέλοι

ubi, quod vocula εἰ abundat (nam προϲθήκη in malam partem accipi ibi nequit), requiro:

εἰ γὰρ κτέ., i. e: utinam enim.

Danaus e longinquo prospiciens Argivorum copias appropinquantes, hanc facit coniecturam:

184. τάχ' ἂν πρὸϲ ἡμᾶϲ τῆϲδε γῆϲ ἀρχηγέται
ὀπτῆρεϲ εἶεν ἀγγέλων πεπυϲμένοι.

At nec satis recte dici putaverim ὀπτήρ εἰμι πρόϲ τινα, nec satis fere causae erat, cur ipsum regem venire suspicaretur. Potius credas eum suspicari regem mittere speculatores. Facillima correctio foret:

ὀπτῆραϲ εἶεν, i. e. πέμψειαν.

At neque ἱέναι tragici (more Homerico) pro πέμπειν de personis usurpasse videntur, neque ὀπτῆρεϲ non tuetur glossa Hesychiana. Locum igitur aliorum curae commendo.

247. Danaus ad regem Argivorum:

ἐγὼ δὲ πρὸϲ ϲὲ πότερον ὡϲ ἔτην λέγω,
ἢ τηρὸν ἥερου (sic) ῥάβδον, ἢ πόλεωϲ ἀγόν;

Sic codex. Dindorfius edidit ἱροῦ reliqua intacta relinquens. Admodum vero probabilis et paene certa semper mihi visa est Schuetzii coniectura latere ἱερόραβδον, sive ἱρόραβδον malis. Quae si vera est, consentaneum est sub vocabulo non Graeco τηρὸν delitescere substantivum cum illo adiectivo coniungendum. Olim in Exerc. crit. p. 109 e ΤΗΡΟΝ leni manu elicui ΡΗΤΟΡ, i. e.:

ἢ ῥήτορ' ἱερόραβδον, ἢ πόλεωϲ ἀγόν;

an ad oratorem sacram virgam gestantem, quemadmodum poetam grandiloquum appellasse suspicabar τὸν κήρυκα, caduceatorem, memor Romanos quoque antiquiores legatos vocare solitos

esse oratores. Post sedecim annos nondum video quid obstet huic coniecturae.

390. δεῖ τοί cε φεύγειν κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν,
ὡς οὐκ ἔχουσι κῦρος οὐδὲν ἀμφὶ coῦ.

Oberdickius „aus der Gerichtssprache, sich vertheidigen, litem effugere, erweisen." Unum cedo exemplum, ubi φεύγειν in iure Attico aliud significet quam reum esse, accusari. Numquam significat se defendere, nedum probare. Equidem verum esse puto, mutata interpunctione:

δεῖ τοί cε φαίνειν, κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν
ὡς οὐκ ἔχουσι κῦρος οὐδὲν ἀμφὶ coῦ.

Danai filiabus probandum est in Aegypto hac in re alias vigere leges quam in Graecia. Cf. Ex. crit. p. 109.

407. δεῖ τοι βαθείας φροντίδος cωτηρίου,
δίκην κολυμβητῆρος ἐς βυθὸν μολεῖν
δεδορκὸς ὄμμα μηδ' [ἄγαν] ᾠνωμένον.

Absurde additur ἄγαν, quasi poeta dicere voluisset nihil nocere exiguam oculorum caligationem. Deberi voculam librariis deficientem pedem explentibus recte statuisse mihi videor in C. A., sed simplicius et melius quam ibi feci locum hodie sic redintegrarim:

δεδορκὸς ὄμμ' (ἔχοντα) μηδ' ᾠνωμένον.

456. ἤκουσα καὶ λέγοις ἄν· οὔ με φεύξεται.

Artificiosissimam Weilii explicationem: et haec audivi neque reliqua me fugient repudians, teneo quod ibidem conieci:

ἀκούσομαι· λέγοις ἂν κτέ.

434. μηδ' ἀπορριφθῇ λόγος
ἐμοῦ· κατ' ἀρχῆς γὰρ φιλαίτιος λεώς.

Graeci sermonis usus et ratio postulat ἐμός.

489. τοῖς ἥσσοσιν γὰρ πᾶς τις εὐνοίας φέρει.

Substantivum εὔνοια non habet pluralem numerum, nec locus est genetivo. Me igitur si audias, εὐνοίας, merum est scribae σφάλμα pro εὔνοιαν, natum e scriptura εὔνοιᾱ φέρει, confusis, quod saepe factum, literis φ et σφ. Cf. Choeph. 243:

πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ' ἐμοὶ σέβας φέρων.

512. Rex. εὔφημον εἴη τοὖπος εὐφημουμένῃ.
Chor. οὔτοι τι θαῦμα δυσφορεῖν φόβῳ φρενός.

Regii dicti ratio magno opere commendat quam olim protuli coniecturam probatam Heimsoethio:

οὔτοι τι θαῦμα δυσθροεῖν φόβῳ φρενός.

Adiectivo δύσθροος Aeschylus usus est in Persis vss. 635, 941, 1076.

716. Danaus de adventantibus filiis Aegypti:

καὶ πρῷρα πρόσθεν ὄμμασι βλέπουσ' ὁδόν,
οἴακος ἰθυντῆρος ὑστάτου νεώς
ἄγαν καλῶς κλύουσα τῶς ἂν οὐ φίλη.

Ita hodie, praeeunte Hermanno, edi solet pro codicum lectione

τῶς ἂν, licet neque sententia sit satis perspicua, neque τὼς sic usurpari relative exemplis demonstrari possit. Solus Oberdickius, quod sciam, loci corruptelam agnovit. Ego iam alibi, nisi fallor, (ubi vero, iam non memini) legendum esse suasi:

ἄγαν καλῶς κλύουσα, τοῖσιν οὐ φίλη

i. e. nimis bene audiens iis (i. e. eorum iudicio) quibus non est amica (nobis), scil. ipsi Danao eiusque filiabus. Quid scholiasta legerit ex eius verbis: οὕτως δὲ ἡμῖν, κλύουσα τοῦ οἴακος, οὐ φίλη ἐστι, non apparet, siquidem eodem iure interpungas: οὕτως δὲ (sc. ἄγαν καλῶς) ἡμῖν κλύουσα τοῦ οἴακος οὐ φίλη ἐστίν. Sed parum refert: scholia enim ad hanc fabulam valde recentia esse videntur.

743. Chor. δοριπαγεῖς δ' ἔχοντες κυανώπιδας
νῆας ἔπλευσαν ὧδ' ἐπιτυχεῖ κότῳ
πολεῖ μελαγχίμῳ σὺν στρατῷ.

Meinekius merito offensus voce κότῳ coniecit ῥόθῳ vel κρότῳ. Neutrum prorsus mihi sufficit, quia utraque vox tantummodo ad remigationem, non simul ad velorum usum universumque navigandi laborem pertinet. Quocirca equidem praetulerim quod etiam lenius proposui in Exerc. crit. p. 111:

νῆας ἔπλευσαν ὧδ' ἐπιτυχεῖ κόπῳ.

802. Chor. τῷ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦμαι φιλαιακτῶν κακῶν. Hanc codicis scripturam depravatam esse cum metri ratio (cf. 794) evinceret, Dindorfius iusto audacius reposuit φιλοστόνων coniectura prorsus improbabili et ab arte critica alienissima, quoniam nemo librarius vocabulum ab usu communi non valde recedens interpretaturus fuisset per vocem eximie poeticam. Hinc mihi quidem longe probabilior suspicio videtur, correctorem aliquem, cum in codice repperisset versum sic scriptum:

τῷ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦμαι ΦΙΛΑΙ... ΩΝ κακῶν,

de numeris parum sollicitum ex ingenio supplevisse φιλαι(ακτ)ῶν, cum debuisset ΦΙΛΑΙΛΙΩΝ i. e. φιλαιλίνων, i. e. naeniis plenorum. Αἰλίνοις κακοῖς dixit Euripides Helen. 170. Praeterea vid. Agam. 121, 139, 159; Soph. Ai. 627; Eur. Phoen. 1520, Or. 1395, H. F. 348. Quam facile autem post ΑΙ intercidere potuerint literae simillimae ΛΙ, cadit in oculos. Si vero quis mero librarii errore ΦΙΛΑΙΛΙΝΩΝ ex ΦΙΛΑΙΑΚΤΩΝ abiisse statuere maluerit, non pugnabo.

811. λύσιμά μ' ἄχειμ' ἔπιδε, πάτερ,
βίαια μὴ φιλεῖς ὁρῶν
ὄμμασιν ἐνδίκοις.

Coniecta sunt φίλοις, φαιδροῖς, στέρξῃς. Equidem praetulerim:

βίαια μὴ φίλως ὁρῶν
ὄμμασιν ἐνδίκοις·

μὴ φίλως, i. e. ἐχθρῶς. Adverbio noster usus est Agam. 246, 1581, 1594. Verba ὄμμασιν ἐνδίκοις typographico errore desiderantur in Dindorfii edit. Vta poetarum scenicorum.

940. Rex Argivorum ad Aegyptiadarum praeconem:

ταύτας δ' ἑκούσας μὲν κατ' εὔνοιαν φρενῶν
ἄγοις ἄν, εἴπερ εὐσεβὴς πίθοι λόγος.
τοιάδε δημόπρακτος ἐκ πόλεως μία
ψῆφος κέκρανται, μήποτ' ἐκδοῦναι βίᾳ
στόλον γυναικῶν.

„Danai filias, ait rex, volentes quidem abducas, sed invitas non licet, ut suffragiis suis cives unanimes decreverunt.“ Apodosin autem poeta variata, quod saepe facit, oratione ita informavit, ut diceret „at unanime populus scivit puellas tradendas non esse invitas“. Quapropter me iudice edi oportuerat:

τοία δὲ δημόπρακτος κτλ.

950. ἴσθι μὲν τάδ' ἤδη πολέμου αἵρεσθαι νέον·
εἴη δὲ νίκη καὶ κράτος τοῖς ἄρσεσιν.

In Comm. Amst. impugnata Porsoni coniectura, quam Dindorfius recepit, conieci:

ἴσθ' οὖν τάδ' ἤδη πόλεμον αἵρεσθαι δέον

sive voculam ἤδη ad ἴσθι sive ad αἵρεσθαι trahendam putas. Et νέον ita demum recte haberet, si Argivi nuper alia bella gessissent, qua de re nulla est in hac fabula mentio. Eadem de causa suspectam habeo scripturam supra vs. 341, ubi rex ait:

βαρέα σύ γ' εἶπας πόλεμον αἵρεσθαι νέον.

Collato autem vs. 439 scribi possit:

βαρέα σύ γ' εἶπας πόλεμον αἵρεσθαι μέγαν —

aut lenius νέοις, i. e. Aegypti filiis, memoratis in versu praecedenti. Ceterum νέον illic in ore regis non aeque ineptum esse ac hic in ore caduceatoris, vix est quod moneam.

994 sq. tentavi in Comm. Amst. sic:

πᾶς δ' ἐν μετοίκῳ γλῶσσαν εὔτυκον φορεῖ
κακήν, τό τ' εἰπεῖν εὖ στυγεῖ μύσαγμ' ὅπως

et bene dicere piaculi instar odit. Iniuria autem ibi haesi in usu praepositionis ἐν. Cf. Dind. Lex. Aesch. p. 118 A.

996. ὑμᾶς δ' ἐπαινῶ μὴ καταισχύνειν ἐμέ.

Ubi ἐπαινῶ ponitur pro παραινῶ, requirente ipsa rei natura, regit dativum, ut recte legitur Choeph. 58:

ὑμῖν δ' ἐπαινῶ γλῶσσαν εὔφημον φέρειν (l. φορεῖν).

Loco autem Euripideo Androm. 552:

ἀλλ' ἀνηβητηρίαν
ῥώμην μ' ἐπαινῶ λαμβάνειν·

genuinam lectionem esse μενοινῶ, cupio, dudum monui.

Quare Aeschylo hic reddere non dubitem:

ὑμῖν δ' ἐπαινῶ μὴ καταισχύνειν ἐμέ
ὥραν ἐχούσαις τήνδ' ἐπίστρεπτον βροτοῖς.

Ad Agamemnonem.

Vs. 10. ὧδε γὰρ κρατεῖ
γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ.

Licet iam Phrynichus (Bekk. An. p. 19, 23) verba sic scripta legisse videatur commemorans quantumvis neglegenter ἀνδρόβουλος γυνή, nescio tamen an genuinam lectionem ante oculos habuerit grammaticus, cui Hesychii lexicon debeat glossam ἀνδρόλημον: ἀνδρὸς ἔχουσαν λῆμα, ut ad hunc Aeschyli locum referens bene codicis lectionem ἀνδρολήμην emendavit doctus Hesychii editor Morizius Schmidt. Similiter supra in Septem vs. 43 μηλοσφαγοῦντες vidimus cessisse glossemati ταυροσφαγοῦντες. Hortatur autem Phrynichi exemplum et universa veterum grammaticorum incuria, ne Schmidtio obtemperemus in Hesychii verbis pro ἔχουσαν suspicanti ἔχον.

36. τὰ δ' ἄλλα σιγῶ κτἑ.

Vss. 36 — 39 longe aptiorem locum nanciscentur, si mecum transposueris statim post vs. 19, ubi custos tetigit tristem rerum conditionem. Quo facto et vocabula τὰ δ' ἄλλα habebunt quo referantur, et laetiora moesta exceperint ad finem orationis usque continuata.

25. Exclamatio ἰοῦ ἰοῦ utique transponenda statim post vs. 22.

62. πολυάνορος ἀμφὶ γυναικός.

Karstenus, quod eo saltem tempore chorus Helenam multorum maritorum uxorem dicere non posset, cl. ἀμφινεικῆ vs. 686 coniecit ἀμφιδήριος. Si quid mutandum, nec potius acquiescendum Scholiastae interpretationi τῆς πολλοὺς μνηστῆρας ἐχούσης, equidem corrigere malim:

λιπεσάνορος ἀμφὶ γυναικός.

Non ignorabat Aeschylus, ut opinor, nobilissimos Stesichori ex Orestia versus:

Οὕνεκα Τυνδάρεως ῥέζων ποτὲ πᾶσι θεοῖς
μούνας λάθετ' ἠπιοδώρου Κύπριδος· κεῖνα δ' ἄρα Τυνδάρεω
κούραισι χολωσαμένα διγάμους τε
καὶ τριγάμους τίθησι καὶ λιπεσάνορας.

78. Ἄρης δ' οὐκ ἔνι χώρᾳ.

Dudum scribendum proposui:

Ἄρει δ' οὐκ ἔνι χώρα,

i. e. nec Marti locus est (in pectore puerili). Et sic novissime Gilbertus.

105. ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
πειθὼ μολπᾶν
ἀλκὰν σύμφυτος αἰών.

Perperam ex mea sententia recepta est a Dindorfio Bothii correctio ἀλκᾷ, quam ne satis quidem intellego. Quidni enim ἀλκὰν sit appositio praedicativa verborum πειθὼ μολπᾶν? Carminum suadam suum robur esse pulchre dicunt senes. Si quid mutandum foret, equidem longe mallem:

ἀλκὰν σύμφυτον αἰών

i. e. robur nobis proprium, quod iam Heathium proposuisse docet me editio Blomfieldiana.

127. πάντα δὲ πύργων
κτήνη πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ
Μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον.

Quod editur πρόσθε τὰ nihil praestare codicis scripturae προσθετὰ facile est agnoscere. Interpretes si audias, πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ significat, si Musis placet, τὰ πρόσθεν ὑπὸ τοῦ δήμου τεθησαυρισμένα, quasi articulus ita traici queat, ut taceam πρόσθε turpiter abundare. Quia autem turrium (i. e. muri) nullae sunt possessiones, atque requiritur notio τὰ ἐντὸς τῶν πύργων, scribendum conicio:

πάντα δὲ πύργων
κτήνη ᾽ντοσθε τὰ δημιοπληθῆ
Μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον.

Πύργων ἔντοσθε numerorum ratio coniungere vetabat poetam. Sed vide quam longo intervallo v. c. infra vs. 1057 (idque in ipso dialogo) vocula πάρος a regimine suo distet.

Idem vocabulum Homericum Blomfieldus, iubente metro, pro ἔνδοθεν restituit in Persis, vs. 992.

Verba sequentia miserrime habita sic tentavi:

οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν (?)
στόμιον μέγα Τροίας.
στρατῷ φανεῖσιν γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ
πτανοῖσιν κυσὶ πατρός,
αὐτότοκον πρὸ λόχου μογερὰν πτάκα θυομένοισι.

Vulgo sine sensu: Τροίας στρατωθέν. οἴκῳ γὰρ κτέ. De vocula γὰρ posita in sede tertia, ubi duo prima vocabula arcte cohaereant, consulas Dindorfii lexicon Aeschyleum pag. 65 B.

164. οὐκ ἔχω προσεικάσαι πάντ᾽ ἐπισταθμώμενος
πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.

Haereo in μάταν, quoniam omnis molestia, ubi semel vanam et inanem esse cognoveris, sponte sua animum relinquit. At in codice Mediceo non sic legitur sed τόδε μάταν, quod primus mutavit Pauwius in τὸ μάταν. Equidem latere crediderim:

εἰ τόδ᾽ ἄγαν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.

Cf. ἡ ἄγαν λυπή, — σιγή, — εὐπραξία, οἱ ἄγαν πόνοι, αἱ ἄγαν τροφαί, similia apud tragicos.

349. τὸ δ᾽ εὖ κρατοίη, μὴ διχορρόπως ἰδεῖν.
πολλῶν γὰρ ἐσθλῶν τὴν ὄνησιν εἱλόμην.

Parum proficimus cum Hermanno corrigentes τήνδε pro τὴν aut τῇδε cum Heimsoethio. Utroque enim modo vitiosus restat aoristus εἱλόμην, nec satis clara fit loci sententia. Nisi egregie fallor, Clytaemnestra hoc dicit: multorum bonorum, quorum Troiae excidium causa sit, nullum fore fructum (ὄνησιν), nisi Graeci salvi redierint, itaque fausta fortuna imminenti ab iratis dis periculo praevaluerit mani-

festo (μὴ διχορρόπως ἰδεῖν). Quapropter corrigendum esse suspicor:

πολλῶν γὰρ ἐσθλῶν τὴν ὄνησιν εὔχομαι.

Quod coniecit Maehlyus εἶχον ἂν et soloecum est pro ἔχοιμ' ἄν, neque aptum.

541. ὥστ' ἐνδακρύειν γ' ὄμμασιν χαρᾶς ὕπο.

Collato vs. Euripideo Orest. 1122 (ὥστ' ἐκδακρῦσαι γ' ἔνδοθεν κεχαρμένην), ubi eadem est in libris varietas, h. l. praetulerim Triclinianam lectionem ἐκδακρύειν.

551. εὖ γὰρ πέπρακται. ταῦτα δ' ἐν πολλῷ χρόνῳ
τὰ μέν τις ἂν λέξειεν· εὐπετῶς ἔχειν,
τὰ δ' αὖτε κἀπίμομφα. τίς δὲ πλὴν θεῶν
ἅπαντ' ἀπήμων τὸν δι' αἰῶνος χρόνον;

Karsteni coniecturam pro depravato ταῦτα reponentis ταὐτὰ vanam esse arguit sequens τὰ μὲν — τὰ δὲ. In C. A. recte correxi πάντα, quod supra quoque ad Prometh. vs. 275 simillime in ταὐτὰ abiisse vidimus. Hanc meam coniecturam Dindorfius commemorans in Lexici Aeschylei addendis p. 430 A ipse mavult πολλά, ingenti mutatione et me iudice minime necessaria. Quidni enim praeco causae suae inserviens, rem paululum exaggeret? Et pro πάντα militant sequentia τίς δὲ — χρόνον;

556. σπαρνὰς παρήξεις καὶ κακοστρώτους.

Sub vocabulo non Graeco et manifeste depravato sine dubio aliud latet, quo somnus significetur. Quam rem qui primus animadvertit, Keckius infeliciter reposuit vocabulum invenustissimum scribens:

σπαρνάς τε ῥέγξεις.

Equidem certe longe malim:

σπαρνάς τε βρίξεις κτἑ.

Verbo Homerico βρίζειν Aeschylus supra usus est vs. 275.

570. τὶ τοὺς ἀναλωθέντας ἐν ψήφῳ λέγειν;
τὸν ζῶντα δ' ἀλγεῖν χρὴ τύχης παλιγκότου.

In his verbis nec grammatica constat nec sententia. Utrique satisfiet hac lenissima mutatione:

τί τοὺς ἀναλωθέντας ἐν ψήφῳ λέγειν
τὸν ζῶντα κἀλγεῖν χρὴ τύχης παλιγκότου;

i. e. τί χρὴ τὸν ζῶντα ἐν ψήφῳ λέγειν τοὺς ἀναλωθέντας καὶ ἀλγεῖν τύχης παλιγκότου; (horum scil., quo ipsi quoque tanguntur moerentes tristem sociorum sortem). Deinde qui sequitur versiculus

καὶ πολλὰ χαίρειν συμφορὰς καταξιῶ

abesse fere mallem.

584. ἀεὶ γὰρ ἡβᾷ τοῖς γέρουσιν εὖ μαθεῖν.

Omnino probanda videtur Engeri coniectura νοῦς pro τοῖς. Sed insuper valde mihi displicet εὖ, quo deleto, legerim:

ἀεὶ γὰρ ἡβᾷ νοῦς γέρουσι μανθάνειν.

Postquam μανθάνειν in μαθεῖν abierat (perpetua enim est in libris confusio infinitivorum praesentis et aoristi II), corrector aliquis ruens metrum fulsisse videtur inserta vocula hic parum apta.

641. πολλοὺϲ δὲ πολλῶν ἐξαγιϲθένταϲ δόμων
ἄνδραϲ διπλῇ μάϲτιγι, τὴν Ἄρηϲ φιλεῖ,
δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα.

Verbum valde suspectum et hucusque infeliciter tentatum lenissime corrigi potest rescribendo ἐξανυϲθένταϲ, i. e. confectos. Cf. Homer. Λ 363, Υ 452.

672. λέγουϲιν ἡμᾶϲ ὡϲ ὀλωλόταϲ, τί μή;

τί μὴ absolute positum ne Graecum quidem esse arbitror: ita raro reperitur. Alterum in tragicorum scriptis exemplum est in Aiace vs. 668, quod iam olim correxi. Utroque loco, revocata lineola, qua in libris antiquis littera N notari supra litteram praecedentem solebat, legendum videtur τί μήν; quod cum apud alios scriptores tum praesertim apud Platonem (saepe simul cum formula πῶϲ γὰρ οὔ;) frequentissime legitur. Vera formula feliciter librariorum manus evasit in Eumenidibus vs. 200 sq.:

Chor. ἔχρηϲαϲ ὥϲτε τὸν ξένον μητροκτονεῖν;
Apollo. ἔχρηϲα ποινὰϲ τοῦ πατρὸϲ πέμψαι. τί μήν;

795. ὅϲτιϲ δ' ἀγαθὸϲ προβατογνώμων,
οὐκ ἔϲτι λαθεῖν ὄμματα φωτόϲ, κτέ.

Satis mirabilis esset in sublimiore poësi huius vocabuli usus, nisi chorus id adhibens alludere videretur ad Agamemnonis imperium, quem Homerus cum aliis ducibus appellaverit ποιμένα λαῶν. Longe alia ratio est vocabuli Aeschylei ἱππογνώμων, de quo vide fragm. CCXXXVIII.

813. δίκαϲ γὰρ οὐκ ἀπὸ γλώϲϲηϲ θεοὶ
κλύοντεϲ ἀνδροθνῆταϲ Ἰλίου φθορὰϲ
εἰϲ αἱματηρὸν τεῦχοϲ οὐ διχορρόπωϲ
ψήφουϲ ἔθεντο· τῷ δ' ἐναντίῳ κύτει
ἐλπὶϲ προϲῄει χειρὸϲ οὐ πληρουμένῳ.

Alias coniecturas lenitate et probabilitate hauscio an vincat χῆροϲ, i. e. spes vidua, inanis. Hoc adiectivum interdum esse generis communis, lexica docebunt.

818. καπνῷ δ' ἁλοῦϲα νῦν ἔτ' εὔϲημοϲ πόλιϲ,
ἄτηϲ θύελλαι ζῶϲι· ϲυνθνήϲκουϲα δὲ
ϲποδὸϲ προπέμπει πίοναϲ πλούτου πνοάϲ.
— — — — — — — — — — — —
πόλιν διημάθυνεν Ἀργεῖον δάκοϲ
[ἵππου νεοϲϲόϲ, ἀϲπιδηφόροϲ λεώϲ],
πήδημ' ὀρούϲαϲ ἀμφὶ Πλειάδων δύϲιν κτέ.

Versum inclusum, in quo praeter caetera offensioni est quod ingens equus ligneus, tot armatorum capax, ineptissime vocatur equi pullus, additum esse suspicor ab aliquo, qui non concoqueret constructionem ad synesin: ὀρούϲαϲ pro ὀροῦϲαν.

Vs. 819 in commentatione Amstelodamensi dixi non improbabilem mihi videri Weilii coniecturam δυϲθνήϲκουϲα pro ϲυνθνήϲκουϲα, nisi quod iubente analogia conicere debuisset δυϲθνητοῦϲα.

Re tamen diligentius considerata, nihil mihi nunc mutandum

videtur. Primus de sanitate loci dubitavit, quod sciam, Karstenus, quis sic scribit: „Quis attentius legens non agnoscat repugnantiam esse in verbis ζῶcι — cυνθνήcκειν, cum vivente commori s. una mori? neque tantum in verbis, sed etiam in rebus: ἄτηc θύελλαιc significant incendium procellae instar furens; iam quum incendium vivit et fervet, favilla non emoritur et restinguitur, sed ardet. Necesse est haec in concordiam redigi. Alterutrum dici postulat ratio: vel „incendium subsidit, sedatur, et simul favilla moritur" vel contra „incendii furor viget, et simul favilla ardet, aestuat." Speciosius tamen quam verius haec disputata sunt: nam praesertim ubi agitur non de unius aedificii incendio sed de magna urbe, quae flammis vastatur, ipsi rei naturae congruum est, alia prius, alia posterius igne consumi, itaque furente adhuc incendio (quod iam satis diu duraverat. Vid. 818), hic et illic emori et restingui favillas. Latuit autem Karstenum, praepositionem in cυνθνήcκουcα non cum praegressis, quod sane ridiculum foret, iungendam esse sed pertinere ad πίονα πλοῦτον. Favilla prosequitur s. comitatur Troianorum opes in fumum redactas simul cum iis moriens. Quam vera sit haec poetae descriptio sentient omnes, qui umquam magno incendio affuerunt. Surgit enim una cum fumo favilla, ut mox exstincta humi recidat.

837 sqq. Hunc locum in Comm. Amst. sic corrigi posse existimavi, ut legeretur:

πλείcτουc λέγοιμ' ἄν, εὖ γὰρ ἐξέπειcέ με (vel ἐξέδειξέ μοι)
ὁμιλίαc κάτοπτρον, εἰδώλων cκιάc,
δοκοῦνταc εἶναι κάρτα πρευμενεῖc ἐμοί.
μόνοc δ' Ὀδυccεύc, ὅcπερ οὐχ ἑκὼν ἔπλει,
ζευχθεὶc ἑτοῖμοc ἦν ἐμοὶ cειραφόροc.

Vulgo εἰδὼc — ἐξεπίcταμαι, ὁμιλίαc — εἴδωλον cκιᾶc.

In his εἰδώλων cκιάc egregia est Keckii emendatio, quae tamen manifesto sola non sufficit. — Cf. Eur. Hipp. 428 sqq.

852. νῦν δ' ἐc μέλαθρα καὶ δόμουc ἐφεcτίουc
ἐλθὼν θεοῖcι πρῶτα δεξιώcομαι.

Valde suspecta mihi est structura verbi δεξιοῦcθαι (h. l. = ἀcπάζεcθαι, προcαγόρευειν) cum dativo. Corrigendum suspicor:

θεοὺc μὲν πρῶτα δεξιώcομαι.

Voculae μέν non sequente δέ exempla vide in Dindorfii lexico Aeschyleo in voc. μὲν sub 5 pag. 210 A.

863. καὶ τὸν μὲν ἥκειν, τὸν δ' ἐπειcφέρειν κακοῦ
κάκιον ἄλλο πῆμα, λάcκονταc δόμοιc.

Planum esse arbitror male inferri post ἥκειν verbum ἐπεcφέρειν, pro quo aliud requiritur veniendi verbum, ut utrumque verbum iungi possit cum participio λάcκονταc. Optime haberet:

καὶ τὸν μὲν ἥκειν, τὸν δ' ἐπειcέρρειν, κακοῦ
κάκιον ἄλλο πῆμα λάcκονταc δόμοιc.

Cf. Pollux VIII, 158 et Suid. i. v. ἐπειcήρρηcεν. (C. A.).

Vss. 895—902, damnatos a Dindorfio, postulari versu 903 monui in Comm. Amst. Bene autem ridicula quae iis inest exaggeratio prodit Clytaemnestae animum subdolum et insincerum.

874. τοιῶνδ' ἕκατι κληδόνων παλιγκότων
πολλὰς ἄνωθεν ἀρτάνας ἐμῆς δέρης
ἔλυσαν ἄλλοι πρὸς βίαν λελημμένης.

Aliorum coniecturis, quarum nulla mihi satisfacit, accedat haec mea:

— πολλὰς ἀνῆπτον ἀρτάνας ἐμῆς δέρης,
ἄλλοι δ' ἔλυσαν, πρὸς βίαν λελημμένης.

941. Clyt. τοῖς δ' ὀλβίοις γε καὶ τὸ νικᾶσθαι κρέπει.
Agam. ἦ καὶ σὺ νίκην τήνδε δήριος τίεις;

Melius intellegam:

οὐ καὶ σὺ νίκην τῆσδε δήριος τίεις;

i. e. nonne etiam tu, quae a me postulas ut vinci me patiar, ipsa magni facis victoriam in hac altercatione? Τῆσδε requiri iam vidit Auratus.

944. ἀλλ', εἰ δοκεῖ σοι ταῦθ', ὑπαί τις ἀρβύλας
λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός.
καὶ τοῖσδέ μ' ἐμβαίνονθ' ἁλουργέσιν θεῶν
μή τις πρόσωθεν ὄμματος βάλοι φθόνος·
πολλὴ γὰρ αἰδὼς σωματοφθορεῖν ποσὶν
φθείροντα πλοῦτον ἀργυρωνήτους θ' ὑφάς.

Locus pessime habitus, quem sic fere corrigendum esse suspicor:

ἀλλ', εἰ δοκεῖ σοι ταῦθ', ὑπαί τις ἀρβύλας
λύοι τάχος πρὸς ὀλβίαν ποδὸς βάσιν.
πολλὴ γὰρ αἰδὼς δωματοφθορεῖν, ποσὶν
φθείροντα πλοῦτον ἀργυρωνήτους θ' ὑφάς.
καὶ τοῖσδέ μ' ἐμβαίνονθ' ἁλουργέσιν θεῶν
μή τις πρόσωθεν ὄμματος βάλοι φθόνος.

Transposui duos versus, quia manifesto calceos exuere se iubet servam Agamemnon, ne corrumpat vestem pretiosissimam. Deinde pro absurdis vocabulis πρόδουλον ἔμβασιν ποδός reposui coniecturam meam, amplexus Schuetzianam δωματοφθορεῖν potius quam Franzianam εἱματοφθορεῖν pro codicis lectione σωματοφθορεῖν. Sic enim rectissime habet φθείροντα in versu sequenti, quod fuerunt qui in πατοῦντα vel στείβοντα mutarent, dummodo virgula ponitur ante ποσὶν, quod iungendum est cum φθείροντα.

1005. καὶ πότμος εὐθυπορῶν — — — —
ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα.
καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων
κτησίων ὄκνος βαλὼν
σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου
οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος
πημονᾶς γέμων ἄγαν,
οὐδ' ἐπόντισε σκάφος.

Felici transpositione partem huius loci correxit Schwerdtius;

qua recepta aliud agendum superest, siquidem non satis intelligitur, quo referenda sint vocabula τὸ μὲν. Nec corrigere suffecerit: κᾆθ' ὁ μὲν πρὸ χρημάτων κτηςίων ὄκνος, quia aegre caremus obiecto verbi βαλών. Hinc mihi venit in mentem:

κᾆτα μέντοι χρημάτων
κτηςίων ὄγκον βαλὼν (sc. ὁ ἀνὴρ)
cφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου,
οὐκ ἐπόντιcε cκάφος,
οὐδ' ἔδυ πρόπας δόμος
πημονᾶς γέμων ἄγαν.

1017. πολλά τοι δόcιc ἐκ Διὸc ἀμφιλαφήc τε καὶ ἐξ ἀλίκων ἐπετειᾶν
νῆcτιν ὤλεcεν νόcον.

In Comm. Amst. correxi ἤλαcεν. Vid. Dindorfius in addendis ad lexicon Aeschyleum pag. 429 B.

1025 sqq. εἰ δὲ μὴ τεταγμένα
μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν
εἶργε μὴ πλέον φέρειν,
προφθάcαcα καρδία
γλῶccαν ἂν τάδ' ἐξέχει.

Scripserim sic:

εἰ δὲ μὴ τεταγμένα
μοῖρά μοι τις ἐκ θεῶν
εἶργε μὴ πλέω φέρειν,
προφθάcαcα καρδίαν
γλῶccα πάντ' ἂν ἐξέχει.

Quos ultimos versiculos cum Schuetzio, collato Isocrate ad Demonicum § 41 πολλοῖc γὰρ ἡ γλῶττα προτρέχει τῆc διανοίαc. Verbum φέρειν positum est, ut saepe apud tragicos, nuntiandi sensu, neque igitur satis causae erat, cur in Comm. Amst. id mutarem in θροεῖν. Sed requiritur πλέω pro πλέον, quia πλέον φέρειν alio sensu usurpari assolet.

1050. ἀλλ' εἴπερ ἐcτὶ μὴ χελιδόνοc δίκην
ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη,
εἴcω φρονεῖν λέγουcα πείθω νιν λόγῳ.

Dindorfius annotat „Sententia postulat, collato vs. 1060:

εἴcω φρενῶν ξυνεῖcα δέξεται λόγον

vel κλύουcα, vel ἑκοῦcα κτλ." At immane quantum discrepat ea lectio a codicis scriptura, et versus, ad quem Dindorfius provocat, potius argumento est poetam in tam vicino versu aliter scripsisse. Mihi quidem satis placeret:

εἴcω φρενῶν λαβοῦcα πείθοιτ' ἂν λόγῳ.

i. e. εἴcω φρενῶν λαβοῦcα τὸν λόγον, πείθοιτ' ἂν αὐτῷ. Possis quoque πείcεται, sed illa mutatio lenior est.

1136. ἰὼ ἰὼ ταλαίναc κακόποτμοι τύχαι·
τὸ γὰρ ἐμὸν θρόῳ πάθοc ἐπεγχέαcα·

ποῖ δή με δεῦρο τὴν τάλαιναν ἤγαγες;
οὐδέν ποτ' εἰ μὴ ξυνθανουμένην. τί γάρ;

Non recipere me iudice Dindorfius debuerat Hermanni et Franzii coniecturas θροεῖς et ἐπεγχέας. Prorsus enim nihil chorus (1129—1135) dixit, unde credere posset Cassandra chorum ad ipsius fatum alludere. Neque choro, quod bene animadvertendum, aut hic aut alibi directe respondet misera vates (quae non ante vs. 1178 ad tranquilliorem mentis statum redit), sed mente percita suis tantum, ut θεόληπτοι solent, cogitationibus occupatur. Manifesto igitur Casandra sua tantum verba ἰὼ — τύχαι respicit, quibus se suammet ipsius caedem significare indicat versu corrupto, quem sic corrigere non dubito:

τὸ γὰρ ἐμὸν θρόῳ πάθος ἐπεγχέω.

meam enim clamori (meo) calamitatem (sc. eius mentionem) superinfundo (admisceo). Θρόον, clamorem, vociferationem, apte Casandra appellat vaticinia sua, quae flebili voce crebris intermixta exclamationibus edit. Vide κλαγγᾷ vs. 1152. Casu procul dubio accidit, ut vocabulum Homericum θρόος hodie in tragicorum scriptis nusquam appareat, qui verbis cognatis θρέεσθαι, θροεῖν et θροεῖσθαι haud raro usi sint. Quoniam vero Graece dicitur χεῖν φωνήν, φθογγόν, αὐδήν, μέλος, θρῆνον, γόους, similia, usum verbi ἐπεγχεῖν nemo hic iure mirabitur. Scripturae autem vitium nullo negotio sic explicari potest, quod cum ex θρόῳ, omisso de more iota adscripto, factum esset notum tragicorum librariis θροῶ, corrector ἐπεγχέω iuxta θροῶ non ferens illud mutaverit in participium, quod referri posset ad Casandram. Vitium esse pervetustum apparet e scholiasta, qui explicat συναναμίξασα, itaque habuit ante oculos bellum illud ἐπεγχέασα, quo numeri misere iugulantur.

Post haec vix necesse est dicam in vs. sequenti me tueri libri scripturam ἤγαγες contra Hermanni coniecturam ἤγαγεν, quam Dindorfius recepit. Omnino enim decet furentis personam illa (Agamemnonis) prosopopoeia. Cf. 1107 ἰὼ τάλαινα, τόδε γὰρ τελεῖς. Sed cogebat Hermannum, quique eum secuti sunt, a codice discedere infelix praecedentis versiculi correctio.

1169. ἄκος δ' οὐδὲν ἐπήρκεσεν
τὸ μὴ πόλιν μὲν ὥσπερ οὖν ἔχει παθεῖν.

Grammatica Graeca praegressa negatione postulat μὴ οὐ, quod librarii synizesin, ut videtur, ignorantes saepe in poetarum scriptis oblitterarunt. Editorum est id ubique restituere. De hoc loco iam monui in Exerc. Crit. p. 98.

1219. παῖδες θανόντες ὡσπερεὶ πρὸς τῶν φίλων,
χεῖρας [κρεῶν] πλήθοντες οἰκείας βορᾶς κτέ.

Recte, ut videtur, Martinus correxit ὡς πόρεις. Sed absurde pueri suas manus propriis carnibus implere dicuntur. Aliquis hic latet error, nam procul dubio implere eos dixit poeta manum patris, pueros comesuri. Fortasse igitur κρεῶν est glossema ad

βορᾶς olim adscriptum, quo deleto reponendum est πατρός. Et κρεῶν βορᾶς iam per se valde suspectum est.

1222. ἐκ τῶνδε ποινάς φημι βουλεύειν τινὰ
λέοντ' ἄναλκιν ἐν λέχει στρωφώμενον
οἰκουρόν, οἴμοι, τῷ μολόντι δεσπότῃ.

Verbi τῷ μολόντι δεσπότῃ Casandram significare dominum suum Agamemnonem neminem poterat latere; quapropter vehementer mihi suspectus est qui additur in codice versiculus languidus et hic parum aptus:

ἐμῷ, φέρειν γὰρ χρὴ τὸ δούλιον ζυγόν.

Sequentia sic ex meis et aliorum coniecturis constituerim:

νεῶν δ' ἔπαρχος Ἰλίου τ' ἀναστάτης
οὐκ οἶδεν, οἵα γλῶσσα μισητῆς κυνός·
λείξασα κἀκτείνασα φαιδρὸν οὖς, δίκην
ἄτης λαθραίου δήξεται κακῇ τέχνῃ.

i. e. navium autem imperator Iliique eversor ignorat qualis sit lingua libidinosae (istius) canis! Quae primum quidem lingit blandeque aures movet atque extendit, mox vero latentis Noxae instar malitiose mordebit. In his μισητῆς, quod odiosae vertere solent, interpretatus sum libidinosae, ut Casandra respiciat Clytemnestrae cum Aegistho adulterium. Ad emendationes loci depravatissimi quod attinet, mihi debetur hypostigme post κυνός et in fine τέχνῃ pro τύχῃ, reliquae aliis: vs. 1 δ' pro τ' Vossio, vs. 2 et 3 οἵα pro οἷα et λείξασα pro λέξασα Tyrhwittio, v. 3 φαιδρὸν οὖς pro φαιδρόνους Ahrensio, v. 4 δήξεται pro τεύξεται Madvigio. Minus recte hunc locum tractavi in Comm. Amstelodamensi.

1285. In C. A. sic, duabus additis literulis, emendavi:

(πρ)άξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός

ulturum eum (Orestem) esse caedem patris iacentis. Vid. Dind. lex. Aesch. in add. p. 432 B, unde disco idem iam ante me vidisse Schoemannum.

1290. ἰοῦσα πράξω τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.

Manifesto non sufficit Heathii correctio ἰοῦσα κἀγώ, quam recepit Dindorfius, multo etiam minus id quod contra dialogi sermonem peccavit Coraes, lettres inédites p. 103, proponens ἰοῦσα πρόσσω. Mihi nondum displicet quod olim proposui in Analectis tragicis (post Oed. Regis editionem) p. 202:

ἰοῦς' ἄθρακτος τλήσομαι τὸ κατθανεῖν,

ut haec opponantur vs. 1286:

τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικτος ὧδ' ἀναστένω;

ubi κάτοικτος Scaligeri est correctio pro κάτοικος, sed rectius fortasse Musgravius κάτοκνος coniecit. Cf. etiam vs. 1302: ἀλλ' ἴσθι τλήμων οὖς' ἀπ' εὐτόλμου φρενός. Formam sibi ignotam pro ἀτάρακτος librarios corrupisse nihil est quod miremur. Huiusmodi requiri notionem intellexit etiam Maehlyus, qui nuper ἰοῦς' ἄτρεστος coniecit. De ἄθρακτος cf. Bekk. Anecd. p. 352, 16.

1309. Casandra φόνον δόμοι πνέουςιν αἱματοςταγῆ.

Chor. καὶ πῶς; τόδ᾽ ὄζει θυμάτων ἐφεςτίων.

Non expedio pronomen τόδε, quia τόδ᾽ ὄζει pro οἴδ᾽ ὄζουςι dictum esse non potest, nec impersonale ὄζει pronomen non respuit. Quapropter hodieque probo qnod loco modo laudato proposui:

καὶ πῶς; προςόζει θυμάτων ἐφεςτίων.

Contrario errore τόδ᾽ abiisse videtur in πρός Choeph. 414, ubi legerim τόδ᾽ ἔπος κλυούςᾳ.

1358. Chor. οὐκ οἶδα βουλῆς ἧςτινος τυχὼν λέγω.

τοῦ δρῶντός ἐςτι καὶ τὸ βουλεῦςαι πέρι.

Corrigatur πάρος, ut nascatur trita sententia: ante agendum consulto opus esse. Ita enim poeta dicet: agentis est, ut prius (quam agat) deliberet. Περί pro περὶ τοῦ δρᾶν dici posse quis credat? Sed praeterea fere malim:

τοῦ δρῶντός ἐςτι γὰρ τὸ βουλεῦςαι πάρος.

Καὶ tamen ferri posse videtur.

1374. Clyt. πῶς γάρ τις ἐχθροῖς ἐχθρὰ πορςύνων, φίλοις

δοκοῦςιν εἶναι πημονῆς ἀρκύςτατ᾽ ἂν

φάρξειεν ὕψος κρεῖςςον ἐκπηδήματος;

Iam Engerus recte haesit in omissa necessaria negatione, sed vitii originem non intellexit, soloece voculam οὐ substituens particulae non minus necessariae ἄν. Nempe poeta dederat:

οὐ γάρ τις ἐχθροῖς κτέ.

glossator autem supra οὐ scripserat πῶς, quod librarii more suo introduxerunt in textum.

1377. Clyt. ἐμοὶ δ᾽ ἀγὼν ὅδ᾽ οὐκ ἀφρόντιςτος [πάλαι]

νείκης παλαιᾶς ἦλθε, cὺν χρόνῳ γε μήν.

Apparet ex verbi cὺν χρόνῳ γε μήν in verbis proxime praecedentibus olim lectam esse notionem aliquam contrariam, qualis est sero, aegre, tarde, vix. Iam vero cum πάλαι et ineptum sit et facile per errorem scribi potuerit a librario (qui intempestive παλαιᾶς exarare aggressus errorem postquam animadvertit, ne codicis sui nitori noceret, corrigere supersederit), nihil est probabilius quam, deleto isto adverbio, substituendam esse illam quam supra dixi notionem. Itaque conieci:

ἐμοὶ δ᾽ ἀγὼν ὅδ᾽ οὐκ ἀφρόντιςτος μόλις

νείκης παλαιᾶς ἦλθε, cὺν χρόνῳ γε μήν.

1424. ἐὰν δὲ τοὔμπαλιν κραίνῃ θεός,

γνώςει διδαχθεὶς ὀψὲ γοῦν τὸ cωφρονεῖν.

Utrum in codice α an αι legatur vix dispici potest, itaque criticis perinde esse debet. Mihi quidem κράνῃ h. l. praeferendum videtur „si contrariam fortunam deus dederit“.

1431. καὶ τήνδ᾽ ἀκούεις ὁρκίων ἐμῶν θέμιν.

Ἄκουςον in C. A. requirebam, et nunc requiro.

1469 sqq. Locum misere habitum sic constituerim:

δαῖμον, ὃς ἐμπίτνεις δώμαςι καὶ διφυίοιςι Τανταλίδαιςιν,

κράτος (φθ)ιcίψυχον ἐκ γυναικοῖν,
καρδιόδηκτον ἐμοί, κρατύνεις·
ἐπὶ δὲ cώματος δίκαν
κορακὸς ἐχθρὰ cταθεῖc᾽ ἐκνόμως
ὕμνον ὑμνοῦc᾽ ἐπεύχεται (νεκρῷ).

Φθιcίψυχον ex coniectura mea dedi pro ἰcόψυχον, pro quo Rauchenstein κακόψυχον coniecit, Hermannus de solo metro sollicitus τ᾽ ἰcόψυχον. In φθιcίψυχον, quod formavi ad analogiam vocabulorum φθιcήνωρ, φθιcίβροτος, prima syllaba brevis esse potest, quia futurum φθίcω ab Atticis poetis corripitur. Apte autem hoc dicitur de Clytaemnestra et Helena, quarum haec μία πολλῶν ἀνδρῶν ψυχὰς Δαναῶν ὤλεcεν (1465), illa maritum occidit. Γυναικοῖν pro γυναικῶν correxit Keckius, ἐχθρὰ pro ἐχθροῦ Engerus, cταθεῖc᾽ pro cταθεὶc Schuetzius, ἐκνόμως pro ἐννόμως Triclinius. Tandem ὑμνοῦc᾽ dedi de meo pro ὑμνεῖν, quod non intelligo, et νεκρῷ inserui de Engeri coniectura.

1590. ξένια δὲ τοῦδε δύcθεος πατὴρ
[᾽Ατρεὺc, προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως, πατρὶ]
τῷμῷ, κρεουργὸν ἦμαρ εὐθύμως ἄγειν
δοκῶν, παρέcχε δαῖτα παιδείων κρεῶν.

Impense miror, quem inclusi versiculum, hucusque criticorum obelum effugisse. Nisi enim gerrae sunt et nugae quaecumque critici crepant de versibus non genuinis, hic versus spurius est, qui constet duobus manifestis glossematis ᾽Ατρεὺc (ad πατήρ cf. 1583) et πατρὶ (ad τῷμῷ) et verbis subridiculis προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως; ut taceam parum eleganter in duobus vss. contiguis legi προθύμως et εὐθύμως.

Quam vellem aeque facile demonstrari posse, id quod mihi veri simillimum videtur, spurium esse vs. 1595:

ἔθρυπτ᾽ ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθήμενος

quo omisso, nemo haereret in reliquis, modo, mutata mecum interpunctione, sic orationem continues:

ξένια δὲ τοῦδε δύcθεος πατὴρ
τῷμῷ, κρεουργὸν ἦμαρ εὐθύμως ἄγειν
δοκῶν, παρέcχε δαῖτα παιδείων κρεῶν,
τὰ μὲν ποδήρη καὶ χερῶν ἄκρους κτένας
ἄcημ᾽· ῾Ο δ᾽ αὐτῶν αὐτίκ᾽ ἀγνοίᾳ λαβὼν
ἔcθει βορὰν ἄcωτον, ὡς ὁρᾷς, γένει.

Sed quicumque homo curiosus versiculum illum addidit, ut explicaret, quo pacto Atreus ἄcημα Thyestae filii membra praebuerit, locum vehementer turbavit, nec Tyrrhwittio, Blomfieldo, Weilio, Casaubono, Weckleinio coniecturis suis ἔκρυπτ᾽, ἄνευθεν, ἄπωθεν, καθημένοις, δατούμενος tenebras prorsus dispellere contigit. — Cur in vs. 1597 ὡς ὁρᾷς Bothio suspectum esset, nulla causa erat. Viderat enim chorus per mortem Agamemnonis, quam ἄcωτος illa βορά fuisset Atrei generi.

1605. Aegisthus de se cum Thyeste patre pulso in exilium:

τρίτον γάρ ὄντα μ' ἐπὶ δέκ' ἀθλίῳ πατρὶ
συνεξελαύνει τυτθὸν ὄντ' ἐν σπαργάνοις.

In Schneideri et Meinekii coniecturis ἔτι δυσαθλίῳ et ἔτι τρισαθλίῳ male redundat vocula ἔτι, quae cum τυτθὸν ὄντα illic posita iungi non possit, in Schoemanniana vero ἐπὶ δυσαθλίῳ praepositio. Ineptissime autem abundaret ἐπὶ δύ', quod Emperius proposuit, cum praesertim filium natu minimum se esse satis in vs. sequenti significet Aegisthus. Non fuit his viris felicior Weilius coniciens ἐπίτεκ', quod cum ob eandem causam reiciendum est, tum quia adiectivum ἐπίτεξ notione multum diversa soleat usurpari.

Omnes autem criticos fugisse miror desiderari in versu depravato substantivum prorsus necessarium, quo filius aut puer significetur. Quale substantivum cum omitti a poeta nullo modo potuerit probabili coniectura scribemus:

τρίτον γὰρ ὄντα με τέκνον ἀθλίῳ πατρί,

sive

τρίτον γὰρ ὄντα μ' υἱὸν ἀθλίῳ πατρί,

sive

τρίτον γὰρ ὄντα παῖδά μ' ἀθλίῳ πατρί.

Quibus scribendi rationibus non addam hanc quartam:

τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἶνιν ἀθλίῳ πατρί,

propterea quod hac voce tragici in diverbiis usi non sunt. Ex reliquis autem quae vera sit, nemo facile certo dixerit.

1608. καὶ τοῦδε τἀνδρὸς ἡψάμην θυραῖος ὤν,
πᾶσαν συνάψας μηχανὴν δυσβουλίας.

Recte Karstenus εὐβουλίας, sed praeterea depravatum videtur θυραῖος. Nam neque foris (cf. Choeph. 115) Aegisthus Agamemnonem aut vi aut insidiis petiverat, sed domi (cf. 1625 sq.) neque quo sensu alienus diceretur, satis assequor. Nisi egregie fallor, poeta dederat ἀραῖος notione activa, ut vocabulum usurpatur Trach. 1202, qui diras alicui imprecatur. Soph. fr. 791 pro θυραῖον l. ἀραιόν.

Ad Choephoros.

Vs. 32. τορὸς γὰρ ὀρθόθριξ φόβος
δόμων ὀνειρόμαντις, ἐξ ὕπνου κότον
πνέων, ἀωρόνυκτον ἀμβόαμα
μυχόθεν ἔλακε περὶ φόβῳ,
γυναικείοισιν ἐν δώμασιν βαρὺς πίτνων.

Nihil proficitur Porti coniectura περιφόβως, quae non tollat tautologiam. Conieci:

— ἀωρόνυκτον ἀμβόαμα
μυχόθεν ἔλακε παράφορον, κτλ.

cl. Lucian. am. 13 ἐμμανές τι καὶ παράφορον ἀναβοᾶν. Substantivo παραφορά noster usus est Eumen. 330, 342. Hesychius παράφορος: — ἐξεστηκώς.

61. ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ Δίκας
ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει,
τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου
μένει χρονίζοντας ἄχη,
τοὺς δ' ἄκρατος ἔχει νύξ.

Diligentia vere Germanica Weckleinius in docto et utili libro, quem inscripsit Studien zu Aeschylus, p. 150 sqq. collegit partimque examinavit plurimas eruditorum de huius loci interpretatione sententias, quibus reiectis ipse suam his verbis proposuit: das Richteramt der strafenden Gerechtigkeit erschaut schnell die offenbaren Verbrecher; diejenigen aber, deren Schuld sich noch in Zwielicht birgt, erwartet erst mit der Zeit die Strafe; andere aber deckt nichts zu Ende führende Nacht (d. h. keine Bestrafung bewirkende oder jede Bestrafung ausschliessende Nacht). Hanc interpretationem poetae verbis non respondere manifestum est; ita enim necessario poeta (ut metrum nunc negligam) aliquid dedisset quale hoc est: τοὺς μὲν ἐν φάει ἁμαρτόντας, τὰ δὲ τοὺς ἐν μεταιχμίῳ σκότου κτέ. Aeschylus vero aperte dicit, ubi (s. quando) iustitia divina homines (maleficos), alios serius, alios ocius respiciat. Quod autem deinde ait alios prorsus effugere vindictam divinam, id Aeschyleae theologiae ita contrarium est, ut poeta hoc omnino dicere non potuerit.[1]) Nec opponi strophae verba antistrophica (quae est viri docti sententia), vel inde patet, quod vocabulis δι' αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ nulla inest particula adversativa.

Unde vero quaeso et quo iure hanc elicuit oppositionem: „Verbrechen werden theils sofort, theils spät, theils gar nicht bestraft; der Mord aber wird immer bestraft"? Chorus manifesto in strophe, ubi de maleficorum poenis agit, iam cogitat Clytaemnestram, itaque in antistrophe huius scelus diserte commemorat.

Nisi egregie fallor, duo tantum critici perspexerunt quam interpretationem cum poetae verba tum sententiarum nexus requirerent, Paleius et Naegelsbachius, quorum ille dicit „three periods are spoken of; the present time, or prime of life — the twilight or evening of life; and the night or death, which comes ἄκραντος (ita cod.) before punishment has overtaken its victime". Nägelsbach: „discernit poeta tria poenarum tempora ῥοπὴ δίκης τοὺς μὲν ἐν φάει (in vita) ἐπισκοπεῖ ὅταν ᾖ ταχεῖα, τοὺς δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου (in tenebrarum et lucis confiniis), τοὺς δ' ἐπισκοπεῖ καὶ ἀποθανόντας. Ego ipse dudum, antequam has interpretationes cognovi, haec in exemplaris mei margine adscripserim: „Omnes maleficos serius ocius poena manet, alios enim numinis iustitia in luce (h. e. in media vita) respicit, alios in lucis et caliginis intervallo (h. e. in extrema senectute), alios,

1) Cf. fragm. 284 (Dind.) et imprimis versum οὐδ' ἐγκαλύπτει νὺξ κακῶς εἰργασμένα.

quando mera est nox (i. e. post mortem demum)". Scribendum enim putabam et nunc puto:

τοὺς δ', ἄκρατος ἐπεὶ νύξ.

Quam autem apte senectus vocetur μεταίχμιον σκότου sentiet is qui cum consideraverit universum Graecorum senectutis horrorem tum Aeschyli meminerit verba in Agamemnone vs. 82 de sene: ὄναρ ἡμερόφαντον ἀλαίνει. — Aliter nuper in his ipsis Annalibus vol. 115 et 116, 1 p. 2 sqq. h. l. et interpretari et emendare conatus est Schoemannus, qui mihi quidem minime persuasit.

72. πόροι τε πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ
βαίνοντες τὸν
χερομυσῆ φόνον καθαίροντες ἰοῦσαν μάταν.

Scholiasta, qui interpretatur: πάντες οἱ ποταμοὶ εἰς ἓν συνερχόμενοι habuit ante oculos, quod poetae reddere non dubitem:

πόροι τε πάντες εἰς ὁδὸν μίαν.

Praeterea mendosum est ἰοῦσαν, sub quo participio latet, ut recte ait Dindorfius, creticae mensurae verbum, quod restituere mihi videor rescribens:

πόροι τε πάντες εἰς ὁδὸν μίαν
βαίνοντες τὸν
χερομυσῆ φόνον καθαίροντες ἤνυσαν μάταν,

viam frustra solent perficere, i. e. frustra esse solent. Quem usum absolutum verborum ἀνύτειν et τελεῖν, omisso ὁδόν, poetis satis familiarem esse quis nescit?

Huic loco apposite conferas Shakespearii verba in Macbeth II 2:

Will all great Neptunes ocean wash this blood
clean from my hand? No; this my hand wil rather
the multitudinous seas incarnadine, making the green
one red.

Rectissime Schoemannus Ann. l. l. vs. 71 νυμφικῶν ἑδωλίων de fontibus intelligenda esse monuit.

109. φθέγγου χέουσα σεμνὰ τοῖσιν εὔφροσιν.

Scholiasta explicans: εὔξαι ἀγαθὰ τοῖς εὖ φρονοῦσιν, τῷ Ἀγαμέμνονι δηλονότι legit, nisi fallor:

φθέγγου χέουσα κεδνὰ τοῖσιν εὔφροσιν.

Hesychius κεδνά: ἀγαθὰ — — σεμνά. Idem adiectivum σεμνός vitio legitur infra vs. 975, ut mox videbimus.

185. ἐξ ὀμμάτων δὲ δίψιοι πίπτουσί μοι
σταγόνες ἄφρακτοι δυσχίμου πλημμυρίδος.

Vertunt guttae aridae vel sitibundae, quod quid sibi velit, numquam potui intelligere. Ineptissime autem scholiasta: πρώην ἄγευστοι. Ὡς δίψιον Ἄργος τὸ ποτε ἄνυδρον.

Recte quidem et tragice dictum foret quod olim proposui δίπτυχοι, ut ex ambobus oculis σταγόνες intelligerentur, sed hodie ut lenius praetulerim:

ἐξ ὀμμάτων δὲ διψίων vel ὀμμάτοιν — διψίοιν κτέ.

Quibus verbis Electra affectus sui vehementiam significat, qui ex oculis suis continuo fletu siccis lacrimas excieat, sive διψίων, sitientibus, i. e. plorandi avidis, interpretari mavis; quod redit eodem. Simile vitii genus tetigi mox vs. 251.

189. ἀλλ' οὐδὲ μήν νιν ἡ κτανοῦς' ἐκείρατο
ἐμή γε μήτηρ οὐδαμῶς δ' ἐπώνυμον,
φρόνημα παισὶ δύςθεον πεπαμένη.

Displicet mihi languidum epexegema δύςθεον, et malim:
οὐδαμῶς δ' ἐπώνυμον
φρόνημα παισὶ δύςθεος πεπαμένη.

225—229. De hoc loco disputavi in Comm. Amst. Vs. 228 nunc spurium esse crediderim potius quam corrigendum, ut ibi proposui.

247. ἰδοῦ δὲ γένναν — σκηνήμασιν. Comparatio tam facilis ad intellegendum, ut non possim non interpolatori tribuere tres sequentes hosce:

οὕτω δὲ κἀμὲ τήνδε τ', Ἠλέκτραν λέγω,
ἰδεῖν πάρεστί σοι, πατροστερῆ γόνον,
ἄμφω φυγὴν ἔχοντα τὴν αὐτὴν δόμων.

Quos versus ne addere quidem potuit poeta propter formam orationis, qua usus est in praegressis: ἰδοῦ δὲ γένναν. Aeschylus Orestem et Electram aquilae mortuae pullos appellans respexit ab altera parte vivi Agamemnonis gloriam et fortitudinem et potentiam, ab altera miseram sortem et inopiam et imbecillitatem mortui liberorum, quorum alter viveret in exilio, altera paene servae loco in domo paterna. Misere vero ineptit interpolator dicendo ambos eodem premi exilio, quod de Euripidea Electra fortasse quodammodo dici posset, de Aeschylea absurde dictum est. Quibus versibus eiectis, pulchre praegressos excipiunt verba: καὶ τοῦ θυτῆρος — γέρας; ubi poeta figuratam orationem paulisper intermittit, ita tamen ut uno vocabulo νεοσσοὺς usurpando caveat, ne nimis abrupte id fecisse videatur, cui rei eo magis erat cavendum, quia in proximis redit ad eandem imaginem: οὔτ' ἀετοῦ γένεθλα κτέ. (C. A.). In versibus quos damnavi hoc quoque arguit interpolatorem, quod post pronomen demonstrativum τήνδε versiculum (252) nondum plenum, malorum versificum more, explevit vocabulis otiosissimis Ἠλέκτραν λέγω.

250. οὐ γὰρ ἐντελὴς
θήραν πατρῴαν προσφέρειν σκηνώμασιν.

In Comm. Amst. correxi πατρῴοις, comprobante Dindorfio, Add. lex. Aesch. p. 430 B.

302. τὸ μὴ πολίτας εὐκλεεστάτους βροτῶν
Τροίας ἀναστατῆρας εὐδόξῳ φρενὶ
δυοῖν γυναικοῖν ὧδ' ὑπηκόους πέλειν.

Nemo, credo, monitus non sentiet, quanto pulchrius magnificis his versibus terminetur longa Orestis oratio quam misello versiculo, qui compositus a falsario ad explicandum cur (quasi obscurum hoc

esset!) poeta dixisset δυοῖν γυναικοῖν in codicibus editionibusque circumfertur:

θήλεια γὰρ φρήν· εἰ δὲ μή, τάχ' εἴcεται.

Versum non iam dudum damnatum esse eo magis miror, quod necessarium dativum Αἰγίcθῳ poetaster metri coactus angustiis omisit. Utrum vero sic, an εἰ δ' ἐμή, homo dederit parum curo.

414. Vid. ad. Agam. 1309.

427. ἄνωθεν ἀνέκαθεν. Conieci ἔνερθεν in C. A. Vid. Dind. Add. lex. p. 422 A.

434. Orest. τὸ πᾶν ἀτίμως ἔλεξας, οἴμοι·
πατρὸς δ' ἀτίμωcιν ἄρα τίcει
ἑκάτι μὲν δαιμόνων κτέ.

Ἀτίμως λέγειν pro λέγειν ἄτιμα Graecum esse nemo mihi persuadebit, itaque locum vitiosum esse apud me constat. Suspicor:

τὸ πᾶν ἀτίμως ἔρεξας, οἴμοι.
πατρὸς δ' ἀτίμωcιν ἄρα τίcεις κτέ.

ut haec dicat Orestes, continuata, quam soror orsa erat, oratione ad Clytaemnestram. Cf. 430 sqq. Possis tamen etiam sic:

τὸ παντότολμον ἔλεξας, οἴμοι κτέ.

i. e. audacissimum, mea soror, facinus commemorasti! Cf. Agam. 221. Utra correctio probabilior sit, aliis diiudicandum relinquo.

455. In scholio ad h. l. correxi κατ' αὐτῶν, contra patris interfectores, pro κατ' αὐτόν. C. A.

505. παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κληδόνες cωτήριοι
θανόντι· φελλοὶ δ' ὣc ἄγουcι δίκτυον,
τὸν ἐκ βυθοῦ κλωcτῆρα cῴζοντες λίνου.

Vel ipsa comparationis ratio scribere suadet:

κληδόνος cωτήριοι,

quod et magis sobrie et venustius dictum est.

514. πυθέcθαι δ' οὐδέν ἐcτ' ἔξω δρόμου,
πόθεν χοὰς ἔπεμψεν, ἐκ τίνος λόγου
μεθύcτερον τιμῶc' ἀνήκεcτον πάθος;
θανόντι δ' οὐ φρονοῦντι δειλαία χάρις
ἐπέμπετ'· οὐκ ἔχοιμ' ἂν εἰκάcαι τάδε.
τὰ πάντα γάρ τις ἐκχέας ἀνθ' αἵματος
ἑνός, μάτην ὁ μόχθος· ὧδ' ἔχει λόγος.

Quidquid est elegantiorum hominum, sat scio, probabit, quod post pronomen demonstrativum τάδε vs. 517 omiserim versum spurium languidum et subineptum:

τὰ δῶρα, μείω δ' ἐcτὶ τῆς ἁμαρτίας.

Qui addidit, non videtur intellexisse videtur τάδε significare hanc rem.

565. Orest. καὶ δὴ θυρωρῶν οὔτις ἂν φαιδρᾷ φρενὶ
δέξαιτ', ἐπειδὴ δαιμονᾷ δόμος κακοῖς.
μενοῦμεν οὕτως ὥcτ' ἐπεικάζειν τινὰ
δόμους παραcτείχοντα καὶ τάδ' ἐννέπειν·

„τί δὴ πύλαιcι τὸν ἱκέτην ἀπείργετε,
Αἴγιcθος εἴπερ οἶδεν ἔνδημος παρών;“

Verbum ἐπεικάζειν numquam aliud significat quam suspicari, conicere, nec poni potest pro αἰcθάνεcθαι, quam notionem ei hic impertiuntur interpretes. Propterea nondum me poenitet coniecturae olim propositae:

ὥcτ' ἐποικτίζειν τινὰ,

ut nos commiseretur aliquis praetereuntium. Cogitari quoque posset de reponendo ἐπιcκύζειν, sc. τοῖc θυρωροῖc, si de activa huius verbi forma certius constaret.

Ultimum quem adscripsi versum Dindorfius ultro me iudice corrupit pro verbis sanissimis ἔνδημος παρὼν reponens ἔκδημόc περ ὤν. Sed alio vitio versus laborat. Nisi enim egregie fallor, poetae reddi oportet:

Τί δὴ πύλαιcι τὸν ἱκέτην ἀπείργετε,
Αἴγιcθος εἴπερ ἔνδον, ἔνδημος παρών;

i. e. siquidem Aegisthus, qui certe non peregre profectus est, est intus. Verba enim ἔνδημος παρών homo addit ad significandum, cur Aegisthum domi esse suspicetur. Vulgata lectio οἶδεν ita solet explicari, quasi subintelligendum sit τὸν ἱκέτην παρόντα, at neque ulla homini causa erat, cur id suspicaretur (εἴπερ autem indicat persuasionem), neque Aegisthus, insidiarum metuens, hospites facile admisisse videtur, ita ut parum probabile sit hunc ianitoribus Orestem excludentibus irasciturum fuisse.

571. εἰ δ' οὖν ἀμείψω βαλὸν ἑρκείων πυλῶν
κἀκεῖνον ἐν θρόνοιcιν εὑρήcω πατρὸc,
ἢ καὶ μολὼν ἔπειτά μοι κατὰ cτόμα
ἐρεῖ, cάφ' ἴcθι, καὶ κατ' ὀφθαλμοὺc βαλεῖ,
πρὶν αὐτὸν εἰπεῖν „ποδαπὸc ὁ ξένοc;“ νεκρὸν
θήcω, κτέ.

Non sufficit Bambergeri correctio ἀρεῖ, quam iure recepit Dindorfius, sed simul legendum:

διὰ cτόμα
ἀρεῖ, κτλ.

i. e. διαρεῖ τὸ cτόμα, quod quid sit nemo erit docendus. Praepositio κατά male repetita est e versu sequenti. His scriptis video Schoemannum Annal. p. 18 sq. suspicari ἔναντα pro ἔπειτα, tum κακόcτομα ἐρεῖ et κάκ' ὀφθαλμοῖc βαλεῖ.

581. ὑμῖν δ' ἐπαινῶ γλῶccαν εὔφημον φέρειν.

Graecum est in ea re φορεῖν, ut gerere latine dicas, non ferre. Saepissime a librariis utrumque verbum confunditur, qua de re vid. Cobetus Mnem. IX p. 116. Eodem modo corrigatur locus Aeschyleus Suppl. 994. Nam Sept. 622, ubi optime haberet:

γέροντα τὸν νοῦν cάρκα δ' ἡβῶcαν φορεῖ

lectio φέρει in Mediceo cod. manu recentissima superscripta est veteri lectioni φύcει, unde e Wellaueri coniectura hodie receptum est

φύει. Dubito tamen num recte. Etenim φύειν τρίχας, πώγωνα, πτέρα, similia constanti usu dicuntur ii, quibus crines, cetera crescere incipiunt, non de iis quibus iam creverunt, ita ut permire nec satis honorifice Amphiaraus homo iam senior diceretur γέροντα τὸν νοῦν σάρκα δ' ἡβῶσαν φύειν, et necessarium ibi quoque videatur φορεῖ. Neque enim φορεῖν tantummodo „de omnibus partibus corporis et de corporis cultu ornatuque dicitur (verba sunt Cobeti l. l.)", sed etiam translate de mente et indole, ut v. c. Soph. Ant. 705:

μή νυν ἓν ἦθος μοῦνον ἐν σαυτῷ φόρει.

Quare nondum me poenitet coniecturae, Ant. 1089 sq. Sophoclem scripsisse:

καὶ γνῷ τρέφειν τὴν γλῶσσαν ἡσυχαιτέραν
τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν ὧν (f. οὗ) νῦν φορεῖ

pro φέρει.

594. φρόνημα τίς λέγοι. Aegre careo particula ἄν. An φρόνιν τίς (ἂν) λέγοι? C. A.

599. συζύγους δ' ὁμαυλίας
θηλυκράτης ἀπερωπὸς ἔρως παρανικᾷ
κνωδάλων τε καὶ βροτῶν.

Imo vero: κνωδάλων τε καὶ βοτῶν, i. e. beluarum ac pecudum. Παρανικᾷ intelligo: male vincit. Sententia: Amor autem iste qui omnia vilipendens (ἀπερίοπτος, ἀπερίβλεπτος recte explicat ἀπερωπός Phrynichus Bekk. p. 8, 8; Germanice dicas rücksichtslos) mulierum pectoribus imperat, male vincit (i. e. impudentia et feritate superat) beluarum pecudumque coniugia. Ita demum haec sententia recte cohaeret cum praecedentibus. Βροτῶν librarius incogitanter repetivit ex vs. 597.

623. ἐπεὶ δ' ἐπεμνησάμαν ἀμειλίχων
πόνων, ἀκαίρως δὲ δυσφιλὲς γαμήλευμ' ἀπεύχετον δόμοις
γυναικοβούλους τε μητίδας φρενῶν
ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ
ἐπ' ἀνδρὶ δάοισιν ἐπικότῳ σέβας,
τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων
γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν.

Arena sine calce! Recte procul dubio Stanleius correxit τίω pro τίων. Deinde cadit in oculos praecedens vocabulum σέβας non habere quo referatur, itaque mendosum esse. Quoniam vero in praegressis manifesto verbum desideratur, nihil est probabilius quam id verbum latere sub vitioso illo σέβας.

Sententiarum nexus huiuscemodi quid postulare mihi videtur:

ἐπεὶ — πόνον, ἀκαίρως τὸ δυσφιλὲς —
— — — — — — — — — — —
ἐπ' ἀνδρὶ δᾴοισιν ἐμφόβῳ ψέγω,
τίω δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων,
γυναικείαν (τ') ἄτολμον αἰχμάν;

Ἐπικότῳ, quod Heimsoethius in ἐγκότῳ mutavit, celat potius

ἐμφόβῳ i. e. φοβερῷ, quo sensu vocabulum usurpavit Sophocles O. C. 39.

Ἀθέρμαντον ἑστίαν, quod male ἀθράσυντον explicat schol., intelligo focum non accensum, i. e. domum, ubi maritus οὐκ αἴθει πῦρ ἐπὶ τῆς ἑστίας (cl. Agam. 1435: ἕως ἂν αἴθῃ πῦρ ἐφ' ἑστίας ἐμῆς Αἴγισθος), γυναικείαν — ἄτολμον autem ignavumque imperium muliebre.

Sequuntur haec:

κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
λόγῳ· γοᾶται δὲ δὴ πόθει κατάπτυστον·

Vix aliud latere puto quam hoc:

γοᾶται δὲ γῆ (tellus) πάθος κατάπτυστον·

quod non eget interprete. Hartungii coniectura δημόθεν, nuper probata Schoemanno, eo laborat incommodo, quod suspectus est usus passivus τοῦ γοᾶται. Ita saltem simul cum Blomfieldo sribendum sit βοᾶται.

670. In comm. Amst. pro δικαίων τ' ὀμμάτων conieci καλῶν τε βρωμάτων, ita tamen ut de hoc versu, num genuinus sit dubitarem propter inficetam verborum compositionem: πάρεστι — παρουσία. Quo deleto, revocanda fuerit codicis lectio θελκτήρια pro θελκτηρία.

684. Pro altero εἴτ' οὖν ibidem proposui εἴθ' ὡς. Vid. Dindorf. lex. Aesch. Add. p. 430 A.

698 sq. Ibidem post longiorem contra Weckleini coniecturam, quam proposuit in Aeschyl. Studien pag. 161 sq., disputationem, probata pulchra Bambergeri correctione ζάλης pro καλῆς, ipse pro corrupto παροῦσαν proposui ῥαγεῖσαν, cl. Agamemn. 505.

706. Ibidem conatus sum demonstrare pro κατεξενωμένον probabilius esse κατηξιωμένον, i. e. dignum iudicatum, qui tanti momenti nuntium afferrem, sive iussum, cl. Agam. 572.

719 sq. non una de causa suspectavi ibidem.

732. ποῖ δὴ πατεῖς, Κίλισσα, δωμάτων πύλας;

Permire dictum est πατεῖν πύλας pro foras procedere. Expectabam equidem ποῖ δὴ πατεῖς, Κίλισσα, δωμάτων πάρος; ut dixit Sophocles Aiac. 73 στεῖχε δωμάτων πάρος, et non semel Euripides. In sequenti versu pro ἄμισθος proposui ἄμικτος, i. e. ἄγριος, insociabilis, in Comm. Amst.

744. ὥς μοι τὰ μὲν παλαιὰ συγκεκραμένα
ἄλγη δύσοιστα [τοῖσδ' ἐν Ἀτρέως δόμοις
τυχόντ' ἐμὴν] ἤλγυνεν ἐν στέρνοις φρένα.

Quia Graece dicatur συγκέκραμαι κακοῖς simil., non κακά μοι συγκέκραται, in Comm. Amst. malui συγκεκραμένῃ, concretae sc. illis doloribus. Verba autem inclusa per se quidem spectata melius abesse dicebam, non tamen fortasse dedecere bonam vetulam verbosiorem orationem. Ex huius quoque persona forsitan possit defendi parum elegans dictio ἄλγη — ἄλγυνε, ubi malit aliquis πάθη.

754. Pro τρόπῳ φρενός in C. A. requirebam et nunc requiro πόρῳ φρενός, via ingenii, i. e. coniectura. Cf. 758. Deinde pro lectione codicis δίψη τις, impugnata Wellaueri παραδιορθώσει scribentis δίψησις, conieci δίψη νιν, de qua emendatione vid. Dindorfius add. ad lex. Aesch. p. 426 A.

795. τίς ἂν σῳζόμενον ῥυθμὸν
τοῦτ' ἰδεῖν δάπεδον
ἀνομένων βημάτων ὄρεγμα;

Nuper in Mnemos. vol. V (N. S.) p. 196 correxi ἴδοι κἀπ πέδον.

807 pro ἀνιδεῖν (cod. ἂν ἰδεῖν, quod labem concepit e sequenti ἰδεῖν) in C. A. conieci ἀνέχειν, emergere, cl. Soph. O. R. 174 et Herod. VIII, 8.

860. Pro πεῖραι conieci πρῷραι, i. e. στόματα, mucrones cl. Prometh. 423. C. A.

883 sq. De horum versuum difficultatibus vide quae pluribus disputavi in commentatione Amstelodamensi.

904. Orestes ad matrem:
ἕπου, πρὸς αὐτὸν τόνδε (Aegisthum) σε σφάξαι θέλω.
Graecum est παρ' αὐτὸν. C. A.

975. Σεμνοὶ μὲν ἦσαν ἐν θρόνοις τόθ' ἥμενοι,
φίλοι δὲ καὶ νῦν, ὡς ἐπεικάσαι πάθη
πάρεστι κτέ.

Recte Mehlerus Mnem. VI p. 107 πάθει emendavit pro πάθη. Minus placet quod pro σεμνοί, cuius vocabuli corruptelam manifesto prodit sequens φίλοι, ibidem substituit ξυνοί, i. e. κοινοί. Mihi verum videtur quod Ex. crit. p. 105 proposui σύμπνοι, concordes.

1012. φόνου δὲ κηκὶς ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται.
Verba composita cum praepositione σύν, ubicumque conspirationem significant, construi solent cum nudo dativo, velut συνᾴδειν, συμφωνεῖν, συμμετρεῖσθαι, cett. Quare reposuerim τῷ χρόνῳ. Insuper articulus hic necessarius esse videtur. C. A. Cf. Exerc. crit. p. 103. Assentitur Dindorfius, lex. Add. p. 431 A.

1015. πατρόκτονόν θ' ὕφασμα προσφωνῶν τόδε
ἀλγῶ μὲν ἔργα καὶ πάθος γένος τε πᾶν,
ἄζηλα νίκης τῆσδε ἔχων μιάσματα.

Non fero in Aeschylo immanem soloecismum non nisi extremae aetatis scriptoribus permittendum, verbum ἀλγῶ iunctum cum substantivo (non cognato eiusdemve aut similis notionis) in casu quarto. Non ignoro Sophoclis locum in Aiace vs. 790 sq.:
τοῦδ' εἰσάκουε τἀνδρὸς, ὡς ἥκει φέρων
Αἴαντος ἡμῖν πρᾶξιν, ἣν ἤλγησ' ἐγώ —
sed ibi leni manu corrigi potest: ἧς ἤλγησ' ἐγώ. Nam dolendi verba, quae plerumque cum dativo aut cum praep. ἐπὶ c. d. construuntur, interdum a poetis iunguntur cum genetivo causali, velut Agam. 554, Hecub. 1232. De quarto casu post χαίρειν dicta et

accurata est disputatio Lobeckii ad Aiac. 136. Loco tamen quem ille confert ex Choephoris 449:

χαίρουcα πολύδακρυν γόον,

ubi verbum χαίρειν absurdum est, dudum Dobraeus evidenter emendavit χέουcα.

Iam ut revertar ad locum quem nunc tracto, ibi scripserim:

κλάω μὲν ἔργα καὶ πάθος γένος τε πᾶν.

Aliter locum expedire conatus est Weilius in sua huius fabulae editione.

1028. οὔτις μερόπων ἀcινῆ βίοτον
διὰ πάντ' ἄτιμος ἀμείψει.

Teneo quod proposui Exerc. crit. p. 104:

οὔτις μερόπων ἀcινὴς βίοτον
διὰ πάντ' ἀτηρὸν ἀμείψει,

cl. Eum. 305: ἀcινὴς δ' αἰῶνα διοιχνεῖ.

Chorus vitam humanam vocat noxae plenam.

1047. δυοῖν δρακόντοιν εὐπετῶς τεμὼν κάρα.

Hoc loco et Agam. 552

τὰ μέν τις ἂν λέξειεν εὐπετῶς ἔχειν
τὰ δ' αὖτε κἀπίμομφα.

manifestum est Aeschylum adverbio εὐπετῶς tribuisse notionem vocabuli εὐτυχῶς, quam observationem in lexicis desidero. Caeterum id nemo mirabitur, qui reputaverit εὐπετής et cognata vocabula ducta esse ἀπὸ τοῦ εὖ πίπτειν, quod proprie de felici talorum iactu dici constat.

Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

1052. ἴcχε, μὴ φόβου νικῶ πολύ.

Longe malim λίαν, nimis, pro quo illud a glossatore potuit substitui. Hesychius: λίαν· cφόδρα, πολύ, πάνυ, ἄγαν, ἰcχυρῶc. C. A. Cf. Dind. Add. p. 430 B.

Ad Eumenides.

Vs. 6. Τιτανὶc ἄλλη παῖc χθονὸc καθέζετο
Φοίβη· δίδωcι δ' ἣ γενέθλιον δόcιν
Φοίβῳ· τὸ Φοίβηc δ' ὄνομ' ἔχει παρώνυμον.

Quia ὄνομα παρώνυμον est nomen ductum ab alio nomine, nec παρώνυμον iungi potest cum Φοίβηc, quippe posito inter articulum et aliud substantivum, certum arbitror poetam dedisse:

Φοίβῳ· 'πὸ Φοίβηc δ' ὄνομ' ἔχει παρώνυμον,

in quo versu sic scripto cave iungas παρώνυμον ἀπὸ Φοίβηc, quia παρώνυμον regit genetivum, sed iunge: ἀπὸ Φοίβηc δ' ἔχει ὄνομα παρώνυμον. Similiter vs. 3tio cum aliis malim:

ἣ δὴ 'πὸ μητρὸc δεύτερα τόδ' ἕζετο
μαντεῖον

pro τὸ μητρόc, licet ibi fortasse res non aeque certa sit. Librarios voculae ἀπό apocopen ignorantes pro πο legisse το non est quod mireris.

44. ἔχοντ' ἐλάας θ' ὑψιγέννητον κλάδον,
λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον
ἀργῆτι μαλλῷ.

Suspectum habeo, nunc, ut olim, μεγίστῳ, necdum displicet quod proposui in Ex. crit. p. 104 λήνει δ' ἑλικτῷ κτέ.

67. καὶ νῦν ἁλούσας τάσδε τὰς μάργους ὁρᾷς.
ὕπνῳ πεσοῦσαι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι
Νυκτὸς παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται
θεῶν τις οὐδ' ἄνθρωπος οὐδὲ θήρ ποτε·
κακῶν δ' ἕκατι κἀγένοντο κτέ.

Permolestum anacoluthon, cuius nulla idonea causa excogitari potest, lubens removerim corrigendo:

ὕπνῳ πεδῶνται δ' αἱ κτέ.

idque eo lubentius quod ὕπνῳ πίπτειν pro πίπτειν εἰς ὕπνον vel ἐν ὕπνῳ nusquam repertum est. Nec potuit versus excidisse, quia inde a vs. 68 usque ad 71 sqq. omnia arctissime cohaerent.

76. Hunc versum recte delevit in ed. V. Scen. Dindorfius. Ego de ea re iam monueram Ex. crit. p. 194 (ubi simul ex ΑΝΑΙΕΙ elicui ΑΛΑΙΣΙ, i. e. ἅλαισι pro ἂν ἀεὶ).

103. In Comm. Amst. tueor codicis scripturam καρδίᾳ σέθεν, quam confirmat ipse poeta versu sequenti, contra ne aptam quidem Hermanni coniecturam καρδίας ὅθεν receptam a Dindorfio, interpretando καρδίᾳ per φρενί. (Hesychius καρδίη· καὶ ὁ λογισμός καὶ τὸ σύνηθες.) Vs. 105 spurium videri ibidem dixi.

110 sq. ὁ δ' ἐξαλύξας οἴχεται νεβροῦ δίκην,
καὶ ταῦτα κούφως ἐκ μέσων ἀρκυστάτων
ὤρουσεν, ὑμῖν ἐγκατιλλώψας μέγα.

Quis umquam vidit formulam καὶ ταῦτα (idque) sic coniunctam cum verbo finito? Nec mirum, ut opinor, nam vetat ipsa rei natura. Recte haberet καὶ ταῦτ' — ὀρούσας, quod metro prohibetur. Quin igitur mendosum sit ταῦτα, dubium esse nequit. Recte olim Ex. crit. p. 105 reposui:

καὶ κάρτα κούφως.

Cf. Pers. 519 κάρτα σαφῶς, Agam. 801 κάρτ' ἀπομούσως, alia.

125. τί σοι πέπρακται πρᾶγμα πλὴν τεύχειν κακά.

Memorandae certe Dindorfio fuerant egregiae Stanleii et Wakefieldi coniecturae πέπρωται et τέτακται. Nam πέπρακται vitiosum esse certum est.

223. ἡσυχαιτέραν. Schol. δολιωτέραν. Lege σχολαιοτέραν C. A.

246. In Exerc. Crit. p. 107 conieci:

πρὸς αἵματος σταλαγμὸν pro αἷμα καὶ.

276. ἐγὼ διδαχθεὶς ἐν κακοῖς ἐπίσταμαι
πολλοὺς καθαρμούς, καὶ λέγειν ὅπου δίκη
σιγᾶν θ' ὁμοίως· ἐν δὲ τῷδε πράγματι
φωνεῖν ἐτάχθην πρὸς σοφοῦ διδασκάλου.

Frustra me torsi, ut e primis verbis Orestis elicerem sententiam cum reliquis satis bene cohaerentem. Ex iis enim quae statim subsequuntur iure expectes in hoc orationis exordio nondum mentionem fieri de lustrationibus, de quibus vs. 280 sqq. futurus erat dicendi locus, sed nihil aliud dicere matricidam quam: longa malorum experientia se doctum esse, utrum identidem facere opportunum esset, loqui an tacere. Illatum autem esse καθαρμοὺς pro necessaria voce καιροὺς mero librarii errore aberrantis ad vs. 284 contendo et dedisse poetam:

ἐγὼ διδαχθεὶς ἐν κακοῖς ἐπίσταμαι
πολλοῖσι καιρούς, καὶ λέγειν ὅπου δίκη
σιγᾶν θ' ὁμοίως κτέ.

Duo ad h. l. sunt scholia, quorum prius quidem ὅ ἐστι, τηλικαῦτα ἀψυχήσας (leg. ἀτυχήσας), ἃ πολλῶν ἐδεήθη καθαρμῶν, quod exilitate sua prodit Byzantinam originem, refertur ad traditam lectionem, alterum vero, doctum et Alexandrinum, ad eam ipsam, quam de coniecturae restitui. Οἱ ἐναγεῖς οὔτε ἐν ἱερῷ προσῄεσαν οὔτε προσέβλεπον οὔτε διελέγοντό τινι· καὶ παρ' Εὐριπίδῃ·

τί σιγᾷς; μῶν φόνον τιν' εἰργάσω;

Ἐπεὶ Ὀρέστης μέλλει διαλέγεσθαι δοκῶν ἔτι ἐναγὴς εἶναι Ἐγώ, φησι, διδαχθεὶς σὺν κακῷ τῷ ἐμαυτοῦ καὶ οἷον διδασκάλοις χρώμενος ταῖς ἐμαῖς συμφοραῖς ἐπίσταμαι καὶ σιγᾶν καὶ λαλεῖν ὅπου δεῖ, ΕΚΑΤΕΡΟΥ ΚΑΙΡΟΝ γιγνώσκων. Nulla in his de lustrationibus (quam vero inepte in vulgatis Orestes iactat lustrationum suam experientiam!) mentio, sed docte et luculenter ab erudito grammatico ea ipsa sententia, quam sana ratio requirit, exponitur. Hoc insuper quaeri potest, an forte vetus interpres non πολλοῖσι legerit, sed ἐμοῖσι. Quam rem tamen non fidenter affirmarim, quia antiqui in interpretando magis universam sententiam quam singula vocabula spectare assolent.

Fallitur ad h. l. Weilius, qui verbis audacter transpositis infelicissime coniciens καθ' ὅρμους, quod, si dis placet, significet in hospitiis, contendit vitiose sibi respondere καί — τε. Non enim sibi respondent, sed ad καὶ repetendum est verbum ἐπίσταμαι. C. A. Cf. Dind. Add. p. 428.

299. οὔτοι σ' Ἀπόλλων οὐδ' Ἀθηναίας σθένος
ῥύσαιτ' ἂν ὥστε μὴ οὐ παρημελημένον
ἔρρειν κτλ.

Aeschylum pro inerti et languida voce scripsisse παρεξηυλημένον, i. e. miseriis confectum atque exhaustum, probabile reddere conatus sum in Studiis criticis in poet. scen. Graec. p. 3.

312. εὐθυδίκαιοι δ' ἡδόμεθ' εἶναι.

In Exerc. crit. (1862) p. 107 scribebam „Soloeca oratio est. Lege εὐχόμεθ'". Idem vidisse Donaldsonum docet me Dindorfii ed. V. Scenic.

341. ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
τόδε μέλος παρακοπά, παραφορὰ φρενοδαλής, κτέ.

Aures meas ita misere vexat Ionica illa παράληξις, cuius nullum novi exemplum, post paeonicum ordinem, ut φρενοδαλής vitiosum esse credam. Paeonicae mensurae requiro vocabulum, ut φρενομανής, quod conieci in Exerc. crit. pag. 107.

347. γιγνομέναισι λάχη τάδ' ἐφ' ἁμῖν ἐκράνθη,
ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας, οὐδέ τίς ἐστι
συνδαίτωρ μετάκοινος.

Aliud requiri viros doctos non latuit. Prienius et Hermannus coniecerunt ἀθανάτων δίχ' ἔχειν γέρας, quibus merito Weilius obiecit voculam δὲ non abundare; non enim incipere Diras, sed pergere enarrare munera sua. Quapropter ipse reposuit: ἀθανάτων δ' ἀπέχειν ἑκάς. Ingeniose; sed nihil obstat, quominus etiam lenius corrigamus:

ἀθανάτων δ' ἄπ' ἔχειν γέρας,

collato Supplicum loco vs. 684:

νούσων δ' ἑσμὸς ἀπ' ἀστῶν
ἵζοι κρατὸς ἀτερπής.

Scholium ad h. l. μὴ πλησιάζειν ἡμᾶς τοῖς θεοῖς, ad quod Weilius provocavit, aequo iure pro nostris coniecturis et pro lectione vulgata citari poterit. Nihil omnino inde effici posse manifestum est.

429. ἀλλ' ὅρκον οὐ δέξαιτ' ἄν, οὐ δοῦναι θέλοι.

Melius Ahrensius ὃν — θέλω, quod et ipse Ahrensii coniecturam ignorans proposui, cl. vs. 432, Ex. crit. pag. 104, quam Dindorfius εἰ — θέλοιν. Probabile enim est Furias revera hic Orestem προκαλεῖν εἰς ὅρκον, et sic etiam melius quadrat Minervae responsum:

κλύειν δίκαιος μᾶλλον ἢ πρᾶξαι θέλεις.

Egregie autem fallitur Weilius, coniectura nihil opus esse dicens. Videtur igitur δοῦναι (offerre) intelligere praestare, quod si recte faceret, poeta bis idem diceret, ut taceam desiderari disertam oblati sacramenti mentionem.

470. τὸ πρᾶγμα μεῖζον ἤ τις οἴεται τόδε
βροτὸς δικάσειν.

„Haec sive εἴ τις, quod libri et schol. habent, sive ἤ τις, sive ἢ εἴ τις scribis, ab hoc loco aliena sunt. Nam si Minerva rem maiorem esse praedicat quam a mortali diiudicetur, neque Oresti respondet, qui rem deae, non hominum, iudicio commiserat neque sibi ipsa constat, quippe quae eandem rem civibus suis commissura sit. Si ex Prienii interpretatione [quae sola verbis respondet] dicit rem graviorem esse quam mortalis, i. e. Orestes, opinetur, ne hoc quidem aptum est. Orestes enim non levem habet eam causam, quam deae sapientissimae committit, idemque vs. 416 Furiae fecerant." Apposui verba Weilii, quia non potest loci corruptela luculentius demonstrari. Inde tamen minime sequitur dicendum fuisse: haec lis maior est ad diiudicandum quam eae quae inter homines agitantur, et

valde dubito num ipse Aeschylus intellexisset, quam vir sollers proposuit coniecturam:

τὸ πρᾶγμα μεῖζον ἢ εἴ τι cείεται τόδε
βροτοῖc δικάζειν —

in qua, ut de ceteris taceam, inaudita foret eiusmodi pronominis demonstrativi traiectio.

Spreta igitur hac opinione, auctor sum ut, quod a prima manu liber Med. habet, βροτοῖc mutetur in βροτούc, quod sit obiectum verbi δικάζειν, ut sententia sit: Haec res maior est quam quis putet, iudicium exercere de mortalibus. Minerva orsa a sententia generali sic ferme ratiocinatur. „Quod prima facie (deae praesertim) facile possit videri, id est satis grave; nec vero mihi licet ipsi hanc causam decernere: te enim, supplicem meum, religioni duco condemnare, harum vero te absoluto furorem reformido. Nihilominus cum res eo redierit ut aliquid sit mihi faciendum, instituam perpetuum aliquod iudicium e civibus meis constans, qui, causa testimoniis et argumentis bene utrimque instructa et orata, suffragia ferant iurati.“ C. A.

476. αὗται δ᾽ ἔχουcι μοῖραν οὐκ εὐπέμπελον.

Vox semel lecta, quam Schol. explicat εὐπαραίτητον, εὐχερῆ, εὐάρεcτον (cf. Hesych. δυcπέμφελοc — δυcάρεcτοc) nescio an, suadente falsa etymologia, perperam tradita sit, dederitque poeta εὐπέμφελον, formatum ad analogiam noti adiectivi Homerici e regione oppositi δυcπέμφελοc. Sive autem poeta, quae est Dindorfii opinio, vs. 480 ad eam vocem respexit, sive non, res redit eodem. Nemo enim dubitet, quin Aeschylus cum aequalibus omnibus, interrogatus de vocabulorum εὐπέμφελοc et δυcπέμφελοc origine, a verbo πέμπειν ea derivaturus fuisset.

480. τοιαῦτα μὲν τάδ᾽ ἐcτίν· ἀμφότερα, μένειν
πέμπειν τε τάcδε, πῆμ᾽ ἀμηχάνωc τ᾽ ἔχει.

Sic Dindorfius correxit depravatam codicis scripturam:

πέμπειν τε δυcπήματ᾽ ἀμηχάνωc ἐμοί.

Paullo lenius correxerim sic:

πέμπειν τε τάcδε, πῆμ᾽· ἀμηχάνωc ἔχω.

Quod asyndeton dubitabundae orationi apprimis aptum videtur.

564. δι᾽ αἰῶνοc δὲ τὸν πρὶν ὄλβον
ἕρματι προcβαλὼν δίκαc ὤλετ᾽ ἄκλαυτοc, ᾄcτοc.

Scholiastam τὸν πολυχρόνιον ὄλβον explicantem secuntur interpretes. At inaudita est eiusmodi articuli traiectio, neque aliter verba coniungi grammatica sinit quam δι᾽ αἰῶνοc προcβαλών aut ὤλετο, quorum utrumque absurdum est. Quare δι᾽ αἰῶνοc quin in mendo cubet, non potest dubitari. Aptum foret διανταίῳ — ἕρματι, adverso (proprie navem ex adverso penetranti) scopulo; aut si mavis διανταίᾳ, i. e. vehementi ictu, cl. Choeph. v. 640. C. A.

570. ϲιγᾶν ἀρήγει.

Si sanum est ἀρήγει, Aeschylum contra omnium Graecorum consuetudinem impersonaliter [et insolita notione] hoc verbo usus est. Difficile autem dictu est, utrum scholiasta, qui explicat ϲυμφέρει, legerit ἀρήγει, an προϲήκει, quod hic expectes. Nam Hesychius quoque glossam προϲήκει explicans inter alia interpretamenta posuit ϲυμφέρει. C. A.

577. φόνου δὲ τοῦδ' ἐγὼ καθάρϲιοϲ
καὶ ϲυνδικήϲων αὐτόϲ.

Quoniam nulla est in spiritibus codicum auctoritas, eodem iure edi potest αὑτόϲ i. e. ὁ αὐτόϲ, ut Apollo dicat „ego qui Orestem lustravi, idem patronus ei ero". Quae scribendi ratio mihi nunc ut olim (Ex. crit. p. 107) alteri praeferenda videtur.

592. ξιφουλκῷ χειρὶ πρὸϲ δέρην τεμών.

Non facile expedies praepositionem πρόϲ, nisi mecum agnoveris τεμών esse glossema genuinae lectionis βαλών. Cf. Eur. Orest. 1350 φάϲγανον δὲ πρὸϲ δέρῃ βαλών (unde hic quoque malim δέρῃ. Ad Accus. cf. Ion 582, 685, qui tamen loci sunt paulo diversi) et ita saepe προϲβάλλειν, velut Phoen. 735, Alc. 307. Praeterea cf. Or. 51, Iph. T. 785, 1374. C. A. Vid. Dind. lex. Add. p. 431B.

605. Furiae Clytaemnestrae scelus attenuant dicendo:
οὐκ ἦν ὅμαιμοϲ φωτὸϲ ὃν κατέκτανεν.
Quibus verbis ineptissime respondet Orestes quaerendo:
ἐγὼ δὲ μητρὸϲ τῆϲ ἐμῆϲ ἐν αἵματι;
quum debuisset:
ἐγὼ δὲ μιαρᾶϲ τῆϲδε πῶϲ ἐν αἵματι;
aut aliquid saltem in hanc sententiam. Matris enim suae se consanguineum esse negare non poterat. Sed negare poterat se tam scelestam mulierem pro matre sua agnoscere. Quicquid poeta scripsit, verba μητρὸϲ τῆϲ ἐμῆϲ ut glossema expungenda esse arbitror. C. A. In sequentibus:

πῶϲ γάρ ϲ' ἔθρεψεν ἐντόϲ, ὦ μιαιφόνε;
ζώνηϲ; ἀπεύχει μητρὸϲ αἷμα φίλτατον;

ubi ibidem πῶϲ glossatoris esse et οὐ substituendum conieci (vid. supra ad Agam. 1374), fortasse vera est Weilii interpretatio: quomodo enim mater in utero te aluit nisi sanguine suo?

611. δρᾶϲαι γὰρ ὥϲπερ ἐϲτὶν οὐκ ἀρνούμεθα·
ἀλλ' εἰ δικαίωϲ εἴτε μὴ τῇ ϲῇ φρενὶ
δοκεῖ τόδ' αἷμα κρῖνον, ὡϲ τούτοιϲ φράϲω.

Qui huius loci difficultates bene exposuit Weilius acute coniecit:
δοκεῖ, τὸ δή μοι κρῖνον.
Sed mirum est et hunc et ceteros criticos praeteriisse vitiosum esse δοκεῖ et requiri δοκῶ, scil. δρᾶϲαι. Et rescripto δοκῶ, fortasse servari poterit τόδ' αἷμα iungendum cum δρᾶϲαι (ἀλλ' εἰ — δοκῶ τόδ' αἷμα δρᾶϲαι). Locutio enim αἷμα δρᾶν, caedem committere,

satis defenditur loco Euripideo Or. 406 et similibus, quos attuli in Exercit. crit. pag. 11. C. A.

719. Chor. ἐγὼ δὲ μὴ τυχοῦcα τῆc δίκηc
βαρεῖα χώρᾳ τῇδ᾽ ὁμιλήcω πάλιν.

Πάλιν pro αὖθιc, i. e. ὕcτερον, Attice non ponitur. Quia autem Dirae dicendo πάλιν contra poetae mentem indicarent, se iam antea Atticae infestas fuisse, procul dubio corrigendum πάνυ, quod iungendum cum βαρεῖα. Quam emendationem proposui in Studiis criticis, pag. 3.

768. τοῖc τἀμὰ παρβαίνουcι νῦν ὁρκώματα
ἀμηχάνοιcι πράξομεν δυcπραξίαιc,

Horum versuum auctori reddendum est quod scripsit
ἀμηχάνουc παρέξομεν δυcπραξίαc.

ut suspicabar Exerc. crit. pag. 107. Cod. Med. ἀμηχάνοιc, apographum Augustanum παρέξομεν; quod verum esse apparet e dativo τοῖc παρβαίνουcι, qui e πράξομεν suspensus esse nequit. Ecce autem versus, quales sequiores pangere solebant, quorum notum omnibus exemplum est Castorionis Solensis apud Athen. X p. 454 F carmen:

Cὲ τὸν βόλοιc | νιφοκτύπτοιc | δυcχείμερον κτέ.

Vid. Porsoni Suppl. ad praefat. ad Hecub. ed. pag. XIX. Inde vero novum et invictum, ut opinor, argumentum accedit Dindorfianae sententiae, vss. 767—774 Aeschylo esse abiudicandos.

825. θεαὶ βροτῶν cτήcητε δύcκηλον χθόνα. In Exerc. crit. p. 107 conieci κτίcητε. Nunc Linwoodium idem proposuisse disco e lexico Aeschyleo (s. v. ἵcτημι) Dindorfii, qui tamen praeeunte Hermanno traditam lectionem tuetur loco Sophocleo O. C. 1041:

πρὶν ἄν cε τῶν cῶν κύριον cτήcω τέκνων.

Utriusque tamen loci non prorsus eandem rationem esse crediderim. Loco enim Sophocleo ἱcτάναι κύριον non aliter dictum est, quam ἱcτάναι τινὰ τύραννον (i. e. καθιcτάναι) dicitur O. R. 940, Ant. 686, ut Latine non tantum dicitur constituere aliquem regem, ducem sim., sed etiam testem, spectatorem. Cic. de orat. I. cap. 24: te mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. Sed, ut constituere hoc sensu dicitur tantummodo de personis, ita Graece ἱcτάναι; κτίζειν contra et τιθέναι et ποιεῖν, ut facere et reddere, de utrisque, et personis et rebus, usurpatur. Quare de emendationis veritate non fuerat dubitandum.

845=877. ἀπὸ γάρ με τιμᾶν δαναιᾶν θεῶν
δυcπάλαμοι παρ᾽ οὐδὲν ἦραν δόλοι.

Suspecta mihi est scriptura θεῶν, cum quia ipsae Furiae deae sunt, tum quia hoc imprimis indignantur, quod natu maiores iuniorum dolis circumventae sint. Cf. 728, 731, 778 (808). Idcirco crediderim νέων esse genuinam lectionem, θεῶν superscriptum interpretamentum, quod pro ea migrarit in textum. Correctionem utroque loco confirmat Minervae responsio vs. 848 sq. et 882 sqq.

931. ὁ δὲ μὴ κύρσας βαρεῶν τούτων
οὐκ οἶδεν ὅθεν
πληγαὶ βιότου (προσέπαισαν).

Plerique critici sedem vitii iudicarunt βαρέων (ita codex, nam βαρεῶν reposuit Ahrensius) conicientes πρᾳῶν, ἱλαρῶν, βραβέων. Solus Franzius recte adortus est negationem coniciens ὁ δὲ δή. At, ubi transitus fit ad contrarium, non his particulis locus est, sed voculis γε μήν. Cf. Prom. 871. Sept. 1062. Agam 1378. Quare suspicor:

ὅ γε μὴν κύρσας κτέ.

C. A.

997. χαίρετε χαίρετ' ἐναισιμίαισι πλούτου,
χαίρετ' ἀστικὸς λεώς, ἴκταρ ἥμενοι Διὸς
παρθένου φίλας φίλοι, σωφρονοῦντες ἐν χρόνῳ.

Annotat Weilius „quid sit σωφρονοῦντες ἐν χρόνῳ non expedio, nam σωφροσύνη non interdum sed semper tempestiva est. In mentem mihi venit σωφρονοῦντες εὐφρόνως, coll. Agam. 330 γύναι κατ' ἄνδρα σώφρον' εὐφρόνως λέγεις". Quasi vero hoc loco defendatur immanis tautologia quam poetae obtrudit! Si ad coniecturas sit confugiendum, haud inepte suspiceris:

σωφρονοῦντες ἐν κόρῳ

temperantes in satietate, dictum ὀξυμώρως, quo respiciatur notum proverbium τίκτει κόρος ὕβριν. Nisi forte ἐν χρόνῳ licet interpretari tempestive, antequam sero est. Nusquam tamen hanc formulam sic usurpatam repperi. C. A. Pro ἥμενοι recte Bergkius ἡμένης.

1021. αἰνῶ τε μύθους τῶνδε τῶν κατευγμάτων
πέμψω τε φέγγει λαμπάδων σελασφόρων
[ἐς τοὺς ἔνερθε καὶ κάτω χθονὸς τόπους]
ξὺν προπόλοισιν.

Inclusi versiculum, qualem vel pessimum poetastrum fecisse puderet. Nam qui metri scilicet angustiis compulsus iungere potest ἔνερθε καὶ κάτω, vocabula prorsus ἰσοδυναμοῦντα, is vix homo est, nedum homo litteratus. In praegressis, quia πέμψω obiecto caret, valde mihi abblanditur Heimsoethii coniectura αἰνῶ τ' ἀοιδούς.

1032. Βᾶτε δόμους μεγάλαι φιλότιμοι
Νυκτὸς παῖδες ἄπαιδες ὑπ' εὔφρονι πομπᾷ·
εὐφαμεῖτε δέ, χωρῖται·
γᾶς ὑπὸ κεύθεσιν ὠγυγίοισιν
[καὶ] τιμαῖς καὶ θυσίαις περίσεπται [τύχᾳ τε] ἔσεσθε.
εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμεί.

Sic, resectis additamentis et inserto ἔσεσθε, omnia bene procedunt. In his verbis voculam καὶ iam delevit Hermannus, sed non magis genuina videntur vocabula τύχᾳ τε. Quae nata esse suspicor e τύχητε, quod adscripserit de metro securus aliquis magistellus, qui verbum desiderari recte intellexerit. Sed verbum illud quod

perierat vix aliud fuit quam ἔϲεϲθε. Ii enim qui corrigunt περίϲεπτα (pro περίϲεπται) τυχοῦϲαι vel τύχοιτ' ἂν poetae obtrudunt orationem vix Graecam, neque rectius ipse hunc locum tractavi in Comm. Amst., nisi quod fortasse vere ibi statui ὠγυγίοιϲιν cum τιμαῖϲ καὶ θυϲίαιϲ iungendum esse, quia Diras nunc demum Athenis coli coeptas non in antiquum sed in novum sacellum deduci probabile sit, deasque antiquissimas par esset coli caerimoniis vetustis. Hac emendatione simul liberamur necessitate, quae Dindorfium, ut verba εὐφαμεῖτε δὲ χωρῖται in parenthesi poneret, coegit; cui rationi vehementer refragantur posita mox ἐκ τοῦ παραλλήλου verba εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμεί. Initio loci cum Paleio, requirente certa lege sermonis, correxi δόμουϲ pro δόμῳ. Codex ἐν δόμῳ. Possis quoque δόμον.

Ad Fragmenta.

XXIIB. ὁ ταῦροϲ δ' ἔοικεν κυρίξειν τιν' ἀρχὰν,
φθάϲαντοϲ δ' ἐπ' ἔργοιϲ προπηδήϲεταί νιν.

In hoc obscuro Βαϲϲαρῶν fragmento manifesto corrupta sunt vocabula τιν' ἀρχὰν et ἐπ' ἔργοιϲ. Quia autem ὁ ταῦροϲ videtur esse Bacchus, is quem cornu petiturus dicitur, vix alius esse potest quam Edonorum rex Lycurgus, qui tetralogiae, cuius haec fabula secunda pars fuit, nomen indidit. Quae res me movet ut scribendum suspicer:

ὁ ταῦροϲ δ' ἔοικεν κυρίξειν τὸν ἀρχόν, κτέ.

Chorus Bassaridum Lycurgo a Baccho exitium imminere canere videtur. Sed quid lateat sub ἐπ' ἔργοιϲ alius fortasse expediet. Aptum foret ἐλαφρῶϲ, sed lenius requiro remedium.

CXCV. πικροὶ γὰρ κοὐ διὰ ζόηϲ ἀτμοί. An καὶ δίχα ζόηϲ, i. e. θανάϲιμοι?

CCXXXIII. τῷ δὲ ξένῳ γε ϲτέφανοϲ, ἀρχαῖον ϲτέφοϲ,
δεϲμῶν ἄριϲτοϲ, ἐκ Προμηθέωϲ λόγου.

Parum probabile est poetam in uno versu coniunxisse vocabula ἰϲοδυναμοῦντα, qualia sunt ϲτέφανοϲ et ϲτέφοϲ. Quapropter vere mihi correxisse videor in Exerc. Crit. pag. 2 πλέκοϲ, quod vocabulum antiquitus, ut ex parodia Aristophanis (Ach. 454 et Pac. 528) apparet, tragicis familiare reddidi etiam Euripidi in Ionis vs. 39. Sed praeterea mutata interpunctione requiro (nam quae sit illa Promethei oratio non expedio), quod iam dudum alios video coniecisse, λύγου pro λόγου. Nam Promethei coronam λύγου s. ἄγνου, i. e. ex vitice agno casto factam esse constat.

CCXXXVIII fortasse sic constituendum: Antiq. Car. Hist. Mirab. C. 127: τῶν δὲ θηλέων ζῴων τροπικώτερόν φηϲιν εἶναι πρὸϲ τὴν ϲυνουϲίαν ἵππον — φαίνεται δὲ καὶ Αἰϲχύλοϲ ἱϲτορικῶϲ τὸ τοιοῦτον οὕτω πωϲ εἰρηκέναι πρὸϲ τὰϲ παρθένουϲ ἐν ταῖϲ Τοξότιϲιν

αἰδοῖ μὲν (γὰρ?) ἁγναῖϲ παρθένοιϲ, γαμηλίων
λέκτρων ἀπείροιϲ, βλεμμάτων ῥέπει βολή.

καὶ διαλιπὼν προϲέθηκεν

νέας γυναικὸς οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων
ὀφθαλμὸς, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη·
ἔχω δὲ τούτων θυμὸν ἱππογνώμονα.

Codd. ἄδων ταῖς et ἀστει μὴ, quorum hoc iam Heathius correxit. Cf. Eurip. Med. 672. Andr. 420. Dubium est utrum Antigonus priores versus argumenti gratia apposuerit, an tantummodo propter oppositionem cum sequentibus. Illud si fecit, dicere possis revera virginalem illum pudorem prodere, licet inconsciam, virorum appetentiam, siquidem ante pubertatem puellae rectis oculis viros intueantur. Paullo violentius foret κάτω μὲν (γὰρ), nec fortasse necessarium, quia verbo ῥέπειν iam inest propendendi notio; nec tamen nego me ita scriptum fere malle.

CCXLVIII. Sic constitui Plut. Mor. pag. 1087 in Plutarcheis et Lucianeis pag. 41: καὶ ὁ χρόνος ὁ μὲν τούτων οὐ πολὺς, ἀλλ' ὥσπερ (ἀστέρες) οἱ διᾴττοντες ἔξαψιν ἅμα καὶ σβέσιν ἐν τῇ σαρκὶ λαμβάνουσιν· ὁ δὲ τοῦ πόνου (πολὺς, οὗ) μάρτυς ὁ Αἰσχύλου Φιλοκτήτης ἱκανός· οὐ γὰρ ὁ δράκων, φησὶν, ἐκῆκεν, ἀλλ'

ἐνῴκισε
δεινὴν στομωτὸν ἔκφυσιν, ποδὸς λαβών.

Praeeunte enim Madvigio, verba οὐ γὰρ ὁ δράκων ἐνῆκεν quae vulgo, correcto δακὼν pro ὁ δράκων, Aeschylo tribuuntur, Plutarcho adiudicavi.

CCLVII. καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις εὐεργετεῖν,
ὃ γοῦν κακουργεῖν ἀμφιδεξίως ἔχει
καὶ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι βροτούς.
ἡμῶν γε μέντοι Νέμεσις ἔσθ' ὑπερτέρα
καὶ τοῦ θανόντος ἡ δίκη πράσσει κότον.

Acute Engerus agnovit verba esse Priami respondentis ad Achillis orationem, quo probabiliter refert versum a Suida s. v. παλαιγενὲς servatum

εὐεργετῆσαι γὰρ τὸ σῶμ' οὐ βούλομαι.

Loci valde depravati tres versus priores ita legerim:

καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις εὐεργετεῖν
εἴτ' οὖν κακουργεῖν, ἀμφιδεξίως ἔχει
οἷς μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι πάρα,

hac sententia: et mortuis sive bene sive male facere vis, perinde id iis est, quibus nec gaudio nec dolore affici est reliquum. In his εἴτ' οὖν debetur Hermanno, πάρα Madvigio, οἷς mihi. Βροτούς more suo Stobaei librarii pro deficiente pede supplevisse videntur. Paulo quidem lenius corrigere possis μόρος, fatale est, dubito tamen num recte, quia μόρος constanter de morte tragici usurparunt. Ultimum versum, quem non sanarunt eruditorum coniecturae, non magis ipse expedio, nisi forte sufficit:

καὶ τοῦ θανόντος ἡ δίκη πράσσει τάφον,

et (a nobis) iustitia poscit mortui sepulturam. Huiusmodi certe sententiam contextus postulare videtur.

CCCXX. εἴτ' οὖν σοφιστῆς καλὰ παραπαίων χέλυν.
Imo vero:

εἴτ' οὖν σοφιστὴς καλὰ παρῆν παίων χέλυν.

CCCXXX. Harp. s. v. μαλακίζομεν. Αἰσχύλος ἐλαδιωκεκμῆτι μαλκίων ποδί. Dindorfius si cognovisset evidentem meam (in Exerc. crit. pag. 6) emendationem: ἔλα, δίωκε, μή τι μαλκίων ποδί, non edidisset, opinor, cum Hermanno quae oppositis frontibus secum pugnant: ἔλα, δίωκ' ἀκμῆτι μαλκίων ποδί. Cf. Cobet Mnem. III pag. 107.

CCCLXX. Plut. Mor. p. 625 D οἱ γὰρ πρεσβύτεροι πόρρω τὰ γράμματα τῶν ὀμμάτων ἀπάγοντες ἀναγινώσκουσιν, ἐγγύθεν δ' οὐ δύνανται· καὶ τοῦτο παραδηλῶν ὁ Αἰσχύλος φησὶν οὐδὲ ἀπ' αὐτὸν οὐ γὰρ ἐγγύθεν γέρων δὲ γραμματεὺς γενοῦ σαφής. Adiutus verbis Plutarcheis in Exercit. crit. pag. 9 haud inepte mihi videor laceras syllabas (quo corruptelae genere codices Plutarchi Moralium imprimis laborant) ita supplevisse, ut nascantur versus Aeschylo non indigni:

σὺ δὲ
ἄπ(ωθεν) αὔγ(ας)ον (τάδ'), οὐ γὰρ ἐγγύθεν
γέρων (ἂν οὐ)δε(ὶς) γραμματεὺς πέλοι σαφής.

Finem faciam in tentando fragm. CCCLXXI. Plut. Mor. pag. 434 A τῆς ἐν Εὐβοίᾳ χαλκιτίδος, ἐξ ἧς ἐδημιουργεῖτο τὰ ψυχρήλατα τῶν ξιφῶν, ὡς Αἰσχύλος εἴρηκε

λαβὼν γὰρ αὐτόθακτον Εὐβοικὸν ξίφος.

Eruenda est emendatio ex Plutarchi interpretatione, neque igitur dubito, quin vera lectio sit haec:

λαβὼν γὰρ ὑδατόβαπτον Εὐβοικὸν ξίφος.

Ψυχρήλατα enim audiebant tela quae, cum fabricarentur, durandi causa aqua (frigida) tingebantur (sic enim Latini). Cf. Hom. Od. 9, 392; Plut, Mor. pag. 136 A al. Ut hic ὑδατο abiit in αὐτο, prorsus similiter ὕδατι in αὐτῇ depravatum est apud Antiphanem, ut nuper monui ad Ionem pag. 133 et Mnemos. VI pag. 63 (N. S.). Literas autem β et θ, π et κ saepissime confundi a librariis notum est omnibus. Ad pedem tribrachyn sic divisum in sede secunda apud Aeschylum consule C. F. Mulleri librum utilissimum de pedibus solutis cett. pag. 21. Reperto quod verum est repudio una cum aliorum coniecturis (αὐτόθηκτον, αὐόθηκτον, ὑδρόθηκτον, αὐτὸς θηκτὸν) ea quae ipse conieci in Exercitationibus criticis pag. 8 sq.

Addenda ad Prometheum.

788. cοὶ πρῶτον, Ἰοῖ, πολύδονον πλάνην φράcω, κτέ.

Frustra quaero, quae causa movere potuerit poetam, ut non uteretur, quo cum reliquis poetis uti solet elegantiore verborum ordine scribendo:

cοὶ πρῶτον, Ἰοῖ πολύδονον φράcω πλάνην.

Haud raro librarios revocare logicum verborum ordinem in vulgus notum est.

790. ὅταν περάcῃc ῥεῖθρον ἠπείρων ὅρον, κτέ.

Vide ne verius sit ἠπείροιν, i. e. Europae et Asiae.

958. τρίτον δὲ τὸν νῦν κοιρανοῦντ' ἐπόψομαι
αἴcχιcτα καὶ τάχιcτα.

Pugnare haec videntur cum Promethei verbis 757—774. Vide imprimis vers. 774. An igitur olim fuit:

αἴcχιcτα καὶ κάκιcτα?

974. ἢ κἀμὲ γάρ τι cυμφοραῖc ἐπαιτιᾷ;

Requiro genetivum cυμφορᾶc. Litteras ᾱ et $\overline{\alpha\iota}$ et $\overline{\alpha\upsilon}$ perpetuo confundi solere a librariis quis ignorat?

1087 participium ἀποδεικνυμένα iam ipsi Dindorfio suspectum fuisse nunc disco ex eius editione Teubneriana quinta. Suspicionem repudiasse videtur, quo tempore curabat quintam editionem poetarum Scenicorum Graecorum. Immerito.